AUTHOR:

KLINGER, GEORG

TITLE:

DE DECIMI LIVII LIBRI FONTIBUS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1884

Master Negative #

93-81317-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klinger, Georg, 1857-
De decimi Livii libri fontibus; dissertatio inauguralis quam... conscripsit Georgius Klinger...
Lipsiae, typis O. Petersii, 1884.
70 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/22/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE

DECIMI LIVII LIBRI FONTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

CONSCRIPSIT

GEORGIUS KLINGER

GRUMBACENSIS.

LIPSIAE
TYPIS O. PETERSII
1884.

CONRADO STURMHOEFEL

AMICISSIMO.

De decimi Livii libri fontibus.

Hodie si quis in fontes primae decadis Livii inquisiturus est, ante omnia ei est profitendum, quid de K. W. Nitzschii libro quem hic vir illustrissimus de scriptorum Romanorum annalibus inde a primis initiis usque ad Valerium Antiatem composuit[1], judicet. Is enim gravissimum suscepit munus inter se comparandi Livii et Dionysii libros, quibus historia Romana annorum 245—311 u. c. continetur, atque duobus potissimum indiciis stabilivit, quae priore illius libri parte[2] exponit: cognomina enim in quibusdam secundi et tertii Livii libri[3] partibus inveniuntur, in aliis desiderantur, quod idem etiam in Dionysium quadrat; tum autem rationem detexisse Nitzschius sibi visus est inter locos quibus praeter haec cognomina etiam principia annorum notata sunt, qua de causa in hanc perductus est sententiam: ubi saepius cognomina occurrunt, in eisdem priorum librorum primae decadis partibus etiam, quo tempore annus magistratuum initium ceperit, adjectum est, atque in eis partibus Livius recentiores auctores adhibuisse putandus est; ubi autem cognomina desunt, ne de initio quidem anni quidquam additum est. His in partibus si sententiam Nitzschii sequeris, vetustioribus auctoribus Livius sese adstrinxit. Sed inter recentiorem illum et hunc vetustiorem auctorem tertius interest, qui quidem cognomina non exhibet, sed fusius et largius quam vetustior

---

[1]) K. W. Nitzsch: Die Römische Annalistik von ihren ersten Anfängen bis auf Valerius Antias. Berlin 1873.

[2]) pag. 1—188. Hanc praecipue partem in sequentibus respicio.

[3]) In disputationem vocat Nitzschius: Liv. II. 1—IV. 8. Dionys. antiqu. Rom. V. 1—XI. 63.

fons res enarrat[1]). Haec fere sunt fundamenta, quibus totius disputationis Nitzschius aedificium superstruit. Ja momnes, qui de hoc libro judicium tulerunt in eo consentiunt[2]), conscriptum esse illum librum ingeniose et argute multaque quae alii vel neglexerint vel omiserint, primum Nitzschium ad investigandos fontes in usum vocasse, unde factum est, ut nonnulli ingenio et auctoritate hujus viri moti eo procederent, ut argumentis ejus nisi ceterorum primae decadis librorum fontes statuere conarentur[3]). Sed hi viri operam perdiderunt; nam Heydenreichii v. d. praecipue acumini debemus, quod hodie argumenta illa primaria Nitzschii vilipendenda esse fere omnes censent. Diligentissime enim ille vir[4]) locos qui et favent et obstant Nitzschii ratiocinationi, collegit et computavit, quam rectam argumentandi viam ingressus eo pervenit, ut multo plures extare locos qui reprobarent, quam qui comprobarent Nitzschii conjecturas dicere posset; unde sequitur quoniam fundamentum quo eas stabilivit subtractum est, etiam conclusiones, quas inde fecit Nitzschius concidere.

Qua Heydenreichii commentatione quamquam multum abest, ut omnis laus quam illo libro sibi paravit Nitzschius, ei eripiatur, tamen quoniam iterum de fontibus libri primae decadis disputaturi sumus jure nostro aliunde proficiscemur. Jam vero ut Nissenus[5]) quondam ex ea parte operis Liviani ordiebatur, in qua optime Polybii et scriptorum Romanorum relationes discerni possent, ita nos ipsi de eo libro primae decadis disseremus, in quo, qui adhibiti sint auctores, ipsius Livii testimoniis maxime perspicuum est. Neque enim in ullo primae decadis libro diligentius nostrum aliorum scriptorum narrationes recensere aut melius commissuras et vincula singularum partium cognosci posse quam in decimo, vel leviter primam decadem perlustranti apparebit.[6]) Atqui me non praeterit propterea perdifficile esse de fontibus libri decimi quaestiones instituere quod cum aliorum scriptorum perpauca de eo tempore frustula extant, tum Diodori brevibus

---

1) conf. pag. 155.

2) Conf. praecipue Heydenreichii commentationem: Fabius Pictor und Livius, Freiberg 1878 p. 5.

3) Clasonius totus Nitzschium sequitur.

4) Conferas quaeso commentat. supra laud. p. 14 seqq.

5) In libro qui inscribitur: Kritische Untersuchungen ueber die Quellen der vierten und fünften Decade des Livius. Berlin 1863.

6) Conf. F. Lachmanni commentationem: de fontibus historiarum T. Livii I. p. 73. Göttingen. 1822.

illis quidem de historia Romana annalibus, destituti sumus qui tamen eo majoris momenti sunt, quod speciem vetustatis pra se ferunt. Sed illi testimoniorum aliorum paucitati atque tenuitati alia ratione succurrere studui. Totus enim eorum adstipulor sententiae, qui Livium quippe qui onus cervicibus imposuisset, sub quo fere concideret, ita in primis decadibus fontibus usum esse censent, ut interdum etiam sermonis proprietates auctoris alicuius cognoscere possimus, quamquam multum abest, ut O. Gilberto adsentiar qui quasi in servitutem auctoribus Livium se addixisse opinatur[1]) Nostrum igitur erat diligentissime sermonem decimi libri observare et cum aliis Livii locis comparare. Quam viam mihi praemonstrasse praecipue Wölflinium, qui iterum iterumque[2]) ut ad hanc fontes indagandi rationem viri docti se applicarent, docuit, libentissime fateor, nam ingratus essem, si quantum illius viri observationibus profecerim, tacerem. Quoniam vero lexicon Livianum nondum publici juris factum est, necesse est, ut quicunque hac ratione certi aliquid proferre vult, totum Livium accuratissime pluries pertractet, quae res haud parvi est negotii et longi temporis. Praeterea autem saepius legentes ad eas operis Liviani partes relegabo, quae sine ullo dubio ad certum quendam auctorem referri possunt. Hae igitur erunt rationes, ad quas totam meam disputationem revocabo.

---

1) Conf. O. Gilberti librum: Rom und Karthago. Leipzig 1876 p. 185. Contra eum disputat, qui de hoc libro judicavit in: Philolog. Anzeiger VIII. p. 155. 163. — Sunt, qui ne Livii laudi detrectent, in alia versentur opinione. Censent enim non unum exscripsisse Livium, sed complures perlegisse auctores et quae quisque de unaquaque re tradidisset, mente in unum comprehendisse. De hac re optime disserit Nissenus: Rhein. Mus. 27. p. 540.

2) Conf. commentationes in honorem Mommseni p. 337; praecipue autem in libro: Antiochus von Syracus und Coelius Antipater. Winterthur 1872 hanc rationem commendavit.

Iam ut dissertationi, quam scripturus sum, firmum substruam fundamentum, exordiendum esse arbitror inde a capitibus III—V. Livius postquam quae M. Valerius Maximus dictator ejusque magister equitum gesserant narravit, haec addit: »habeo auctores sine ullo memorabili proelio pacatam ab dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Arretinorum compositis et Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto«. Videmus igitur Livium hac dictatoris expeditione narrata alios inspexisse auctores, qui quae ille auctor, cujus vestigia antea legit Livius, prolixe de bello contra Etruscos gesto exposuerat, seditiones tantum fuisse Arretinorum memoriae prodiderant. Atqui Nisseni [1]) aliorumque doctis commentationibus [2]) Livium certum quendam scriptorem aliquamdui ita secutum, ut auxie ejus vestigia premeret, constat, qua de causa haec capita ita in usum meum vertere non dubitavi, ut indole ac natura hujus scriptoris cognita num haec eadem narrandi ratio, idem rerum verborumque tenor in aliis quoque Liviani operis partibus inveniri possit, statuere coner. De nomine auctoris hoc loco opera data non disserui. Iam e re erit paucis, quae noster exhibeat, illustrare. — Postquam Etruriam rebellare et Marsos bellum parare Romam nuntiatum est, dictator dicitur M. Valerius Maximus, qui sibi magistrum equitum legit M. Aemilium Paulum. Marsis autem fusis et aliquot urbibus captis cum in Etruriam bellum versum esset, magister equitum absente dictatore pabulatum egressus haud parvam accepit cladem. Quae cum Romam nuntiata esset et magnum excivisset terrorem, ut etiam urbis securitati Romani consulerent dictator ad exercitum profectus omnia spe tranquilliora et tutiora invenit. Qui cum »inde« castra movisset,

[1]) Conf. Nisseni librum: Kritische Untersuch. p. 81 sq.

[2]) e. g. Bötticheri: „Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im 21. u. 22. Buche" in quinto vol. suppl. ann. Jahnii p. 361.

Etrusci, qui Romanos secuti erant, praesidium Romanum cui praeerat Fulvius legatus, pecora propulsantes in insidias deducere temptant. Sed cum nemo a Romana statione moveretur, et Fulvius legatus hostibus nuntiari jussisset, detectas esse insidias, fidentes numero, quo praestabant consurgunt et proferunt signa. Hostium autem numerus cum maior esset, quam cui pares essent Romani, tamen legatus, donec dictator auxilio veniret, impetum hostium sustinet, dictator autem cum periculum, quo legatus premeretur comperisset, propere auxilium fert. Iam in sequentibus, qua incredibili aviditate pugnandi milites fuerint, quomodo studium eorum coercuerit dictator, quo strategemate usus hostes profligaverit, effuse describitur, ac tantum abest ut quam vividis, ut ita dicam, coloribus conscripta sit haec narratio, non agnoscam, ut potius omnes legentes ea delectari mihi persuasum sit. Sed etiamsi Livius non in fine capitis quinti adscripsisset, non omnes auctores hanc narrationem exhibere, tamen suspectam eam redderet caput illud persaepe laudatum XL libri octavi, quo Livius vitiatam esse memoriam illorum temporum — quibus in describendis versatur — nec quemquem aequalem temporibus illis scriptorem extare, quo satis certo auctore stetur dicit. Verumenimvero in nostro capite tam accurate et large res enarrat, quasi ipse testis oculatus illi pugnae interfuerit, et id tantum miramur, cur quot hostes occisi et capti sint, quot signa ab Etruscis amissa, non sit adscriptum. Quam autem suspicionem — num res expositae ad fidem historicam accedant — hoc loco laudato et verbis in fine cap. quinti adjectis movi, ea augetur si diligenter cum omnes Livii libros tum primam decadem perscrutamur; persaepe enim eaedem res eisdem verbis expressae apud Livium leguntur.

Ac primum quidem narratur proelium adversum, quod commisit absente dictatore M. Aemilius Paulus m. equ. Notissimum est belli Punici secundi initio — anno 537 u. c. — magnam fuisse contentionem inter Q. Fabium Maximum ejusque magistrum equitum M. Minucium Rufum, quod hic ferox rapidusque consilii magnopere Fabii bellandi rationem improbasset [1]); tum autem in eam progressum esse insolentiam M. Minucium [2]), ut quamquam Q. Fabius precibus ab eo petiisset, ut proeliis abstineret, tamen manus cum hoste consereret. Hujus potissimum proelii tristem eventum in mente habuisse opinor auctores, cum de pugnis adversis quas absente vel inconsulto

[1]) XXII. 12. — [2]) XXII. 18.

Iam ut dissertationi, quam scripturus sum, firmum substruam fundamentum, exordiendum esse arbitror inde a capitibus III—V. Livius postquam quae M. Valerius Maximus dictator ejusque magister equitum gesserant narravit, haec addit: »habeo auctores sine ullo memorabili proelio pacatam ab dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Arretinorum compositis et Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto«. Videmus igitur Livium hac dictatoris expeditione narrata alios inspexisse auctores, qui quae ille auctor, cujus vestigia antea legit Livius, prolixe de bello contra Etruscos gesto exposuerat, seditiones tantum fuisse Arretinorum memoriae prodiderant. Atqui Nisseni [1]) aliorumque doctis commentationibus [2]) Livium certum quendam scriptorem aliquamdui ita secutum, ut auxie ejus vestigia premeret, constat, qua de causa haec capita ita in usum meum vertere non dubitavi, ut indole ac natura hujus scriptoris cognita num haec eadem narrandi ratio, idem rerum verborumque tenor in aliis quoque Liviani operis partibus inveniri possit, statuere coner. De nomine auctoris hoc loco opera data non disserui. Iam e re erit paucis, quae noster exhibeat, illustrare. — Postquam Etruriam rebellare et Marsos bellum parare Romam nuntiatum est, dictator dicitur M. Valerius Maximus, qui sibi magistrum equitum legit M. Aemilium Paulum. Marsis autem fusis et aliquot urbibus captis cum in Etruriam bellum versum esset, magister equitum absente dictatore pabulatum egressus haud parvam accepit cladem. Quae cum Romam nuntiata esset et magnum excivisset terrorem, ut etiam urbis securitati Romani consulerent dictator ad exercitum profectus omnia spe tranquilliora et tutiora invenit. Qui cum »inde« castra movisset,

---

[1]) Conf. Nisseni librum: Kritische Untersuch. p. 81 sq.

[2]) e. g. Bötticheri: „Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im 21. u. 22. Buche“ in quinto vol. suppl. ann. Jahnii p. 361.

Etrusci, qui Romanos secuti erant, praesidium Romanum cui praeerat Fulvius legatus, pecora propulsantes in insidias deducere temptant. Sed cum nemo a Romana statione moveretur, et Fulvius legatus hostibus nuntiari jussisset, detectas esse insidias, fidentes numero, quo praestabant consurgunt et proferunt signa. Hostium autem numerus cum maior esset, quam cui pares essent Romani, tamen legatus, donec dictator auxilio veniret, impetum hostium sustinet, dictator autem cum periculum, quo legatus premeretur comperisset, propere auxilium fert. Iam in sequentibus, qua incredibili aviditate pugnandi milites fuerint, quomodo studium eorum coercuerit dictator, quo strategemate usus hostes profligaverit, effuse describitur, ac tantum abest ut quam vividis, ut ita dicam, coloribus conscripta sit haec narratio, non agnoscam, ut potius omnes legentes ea delectari mihi persuasum sit. Sed etiamsi Livius non in fine capitis quinti adscripsisset, non omnes auctores hanc narrationem exhibere, tamen suspectam eam redderet caput illud persaepe laudatum XL libri octavi, quo Livius vitiatam esse memoriam illorum temporum — quibus in describendis versatur — nec quemquem aequalem temporibus illis scriptorem extare, quo satis certo auctore stetur dicit. Verumenimvero in nostro capite tam accurate et large res enarrat, quasi ipse testis oculatus illi pugnae interfuerit, et id tantum miramur, cur quot hostes occisi et capti sint, quot signa ab Etruscis amissa, non sit adscriptum. Quam autem suspicionem — num res expositae ad fidem historicam accedant — hoc loco laudato et verbis in fine cap. quinti adjectis movi, ea augetur si diligenter cum omnes Livii libros tum primam decadem perscrutamur; persaepe enim eaedem res eisdem verbis expressae apud Livium leguntur.

Ac primum quidem narratur proelium adversum, quod commisit absente dictatore M. Aemilius Paulus m. equ. Notissimum est belli Punici secundi initio — anno 537 u. c. — magnam fuisse contentionem inter Q. Fabium Maximum ejusque magistrum equitum M. Minucium Rufum, quod hic ferox rapidusque consilii magnopere Fabii bellandi rationem improbasset [1]); tum autem in eam progressum esse insolentiam M. Minucium [2]), ut quamquam Q. Fabius precibus ab eo petiisset, ut proeliis abstineret, tamen manus cum hoste consereret. Hujus potissimum proelii tristem eventum in mente habuisse opinor auctores, cum de pugnis adversis quas absente vel inconsulto

---

[1]) XXII. 12. — [2]) XXII. 18.

dictatore magistri equitum committebant, referunt [1]. — Quod in sequentibus auctor Livii majorem quam res fuerit terrorem illam cladem magistri equ. excivisse dicit, nescio an consulto id fecerit ut quae in terrore ex clade orto Romani egerint, eo prolixius exponere possit. Similiter magnum Romae coortum terrorem Livius his locis refert:

III. 26. 5.: Itaque tantus pavor, tanta trepidatio fuit quanta sqq.
IV. 32. 1: Ingens Romae terror erat sqq.
IV. 46. 7: maioris quam accepta erat cladis nuntii Romam sqq.
IV. 56. 8: tumultu maiore quam res erat, sqq.
V. 18. 11: his tumultuosiora Romae sqq.
IX. 38. 9: ob haec etiam aucta fama, ut solet, ingens terror patres invasit [2].
XXVI. 9. 6: Romam Fregellanus nuntius . . . ingentem attulit terrorem, tumultuosius quam quod adlatum erat concursus hominum . . . urbem concitat [3].

Ad verbum igitur fere hi loci cum nostro conspirant. Iam tecum repudes quaeso etiam quae sequuntur saepius similiter in hac decade exponi:

e. g. caput quintum libri tertii eundem rerum ordinem exhibet: vigiliae in urbe — per aliquot dies servatum [4].

IV. 32 post verba supra laudata haec Livius addit: et in muris armati dispositi et justitium in foro tabernaeque clausae.

Porro narrat Livius dictatorem cum ad exercitum avidum pugnae venisset »inde« castra movisse. Miror Weissenbornium non ad hunc locum adnotasse, quam neglegenter scriptor, ex quo tota fluxit narratio res quas vocant geographicas tractaverit. »Inde« enim vocula, quae sine ullo dubio sensu locali, non temporali accipienda est ad certum locum referri non potest, quoniam antea noster nihil dicit nisi: tum in Etruscos versum bellum. Sed ne longior sim, hic de

---

1) Liv. VIII. 30 et IX. 22 magistri equitum non consulto dictatore feliciter cum hostibus pugnant. — Eadem de causa factum esse arbitror quod pluries si magister equitum proelium committit opera data auctor addit „permissu dictatoris" magistrum equ. id fecisse: IV. 32. VII. 7. IX. 23.

2) Verba: „ob haec aucta fama" remittunt te ad cap. 48 lib. XXXVII e quo Antiatem rumorum auctorem fuisse cognoscitur.

3) Saepius hoc caput erit laudandum.

4) Fortasse alicius momenti est, quod in fine huius capitis Antiatis nomen laudatur.

ea re, quoniam similem neglegentiam vel ignorantiam locorum regionumque saepius in hoc nostro libro inveniemus, uberius non edisseram. Mairoris enim momenti sunt quae sequuntur. Qui paragrapho septima exponitur dolus Etruscorum — pecus ut Romanorum praesidium in insidias illicerent propellebant — eum in bellis gerendis saepe esse adhibitum in propatulo est, sed ob eam ipsam causam, quod facile hanc rem aliis se probaturos scriptores sibi persuasum habebant, totiens eum dolum in pugnis ac bellis, de quibus nihil certi constabat, nobis propunt [1]) neque minus, quae de Etruscis, qui pastorali habitu sub Romanorum munitiones progrediuntur, et de Caeritibus, qui Etruscorum linguae periti ad pastorum sermonem qualis sit animum attendere jubentur inde a § octava leguntur, nos relegant ad locos, quales extant apud Livium [2]) et Plutarchum [3]).

Tum proelio inter praesidium Romanum et Etruscos exorto, cum Fulvius legatus hostibus propter paucitatem suorum vix resistere posset, dictator e castris ad auxilium legati proficiscitur. Magnus est numerus locorum, quibus similiter milites cupiditate ardentes et imperatores illum ardorem coercentes introducuntur.

II. 45. 6: frequentes in praetorium conveniunt, poscunt pugnam, postulant ut signum detur — — sed retro vocanda et abdenda cupiditas erat.
III. 27. 7: adderent gradum, maturato opus esse — § 8: accelera signifer [4]), sequere miles, inter se quoque — — clamabant.
IX. 13. 2: vadunt igitur in proelium urgentes signiferos.
XXVI. 9. 5: alacresque milites alius alium ut adderet gradum — — — hortabantur [5]).
XXXIX. 31: itaque urgere signiferos pro se quisque, jubere inferre signa et confestim militem sequi.
XLI. 26: urgentes deinde alii alios sqq. [6])

---

1) Conf.: II. 11. II. 51. IX. 2. IX. 31.

2) IX. 36 § 3 quocum loco conf. Dionys. V. 28.

3) Plut. Poplicol. cap. 17.

4) Cum his verbis confer haec capitis quinti: hortanturque signiferos, ut ocius eant.

5) Conf. supra p. 6 a. 3.

6) Ungerus hunc et antecedentem locum Antiati tribuit. Conf. illius viri commentationem: „Die röm. Quellen des Livius in der 4. u. Decade" in tertio vol. suppl. philologi p. 142. 180.

Dictator ut eo certius hostes longo certamine fessos profligaret, inter ordines peditum intervalla reliquerat, per quae equites in Etruscos inveherentur. Hoc quoque strategema res erat in bello saepe temptata, veluti nostro libro eodem utitur L. Papirius, praeterea conferso quaeso XXIX. 2. § 5—7: inter cornua et mediam aciem intervalla — — — patentis equiti relinquerent vias.

Hoc maxime equitum impetu Etrusci fugati castra repetierunt; quae cum a Romanis capta essent, alii fugientes in angustiis portarum haerent, alii quasi numine quodam interveniente servantur. De his autem certaminibus ad castra vel in castris commissis et de consternatione eorum, qui intra castra pleni pavoris exitum quaerunt, hos conferas locos:

XXV. 39: alii ruunt ad portas, alii obsaeptis itineribus super vallum saliunt.
XXX. 5: in angustiis portarum obtriti sunt.
XXXIV. 15: caeduntur in portis suomet ipsi agmine in arto haerentis.
XXXIV. 46: diu in angustiis pugnatum.
XXXIV. 47: quarta legione in porta haerente[1]).
XLIV. 31: pulsi enim et fuga conglobati cum — — — in ipsis faucibus portae cecidissent[2]).

Vallo pondere superstantium in fossam proruto viam salutis esse apertam nisi hoc loco non inveni, sed mihi in mentem venit caput sextum libri XXVI. Haec enim l. l. exhibentur: quorum (elephantorum) corporibus cum oppleta fossa esset, velut aggere aut ponte injecto transitum hostibus dedit[3]). — Denique quod auctor hujus narrationis deos pandisse fugae viam scribit, reminiscaris velim capitis 62 libri secundi quo loco legitur: »ut vel numine aliquo defensa castra oppugnare iterum religio fuerit[4])«.

[1]) Caput 46 — inde a § 4 — et 47 Ungerus: Die röm. Quellen sqq. p. 79 Antiati tribuit.

[2]) Si verba magis quam res respicis hi praeterea erunt notandi loci: VI. 8. § 7. VIII. 26. § 3. IX. 23. § 16.

[3]) In fine huius capitis Livius adnotat se non apud omnes tantam molem pugnae invenisse (XXVI. 6. § 8). Elegit igitur Livius etiam in hac pugna describenda eum auctorem qui res maxime exornabat. — Ceterum capita 5—11 libri XXVI quibus res ad Capuam gestae et expeditio Hannibalis ad urbem Romam describuntur interiore nexu cohaerent et eidem tribuenda sunt auctori.

[4]) Paragrapho duodecima cap. quinti nostri libri haec adnectuntur verba: „Quo proelio fractae iterum Etruscorum vires“ quibus remittimur ad IX. 39. § 11: „Hic primum dies fortuna vetere abundantes Etruscorum fregit vires.“ Quos duos locos ex eodem fluxisse fonte disputatione non eget.

Hujus igitur expeditionis narratio quamquam ita comparata est, ut non solum res ipsae quae exponuntur iterum iterumque in Livii libris inveniantur, sed etiam verba eadem multis aliis locis, quibus simile aliquid traditur, legantur, ut jure haud sollertem auctorem hujus expeditionis in excogitandis rebus fuisse, sed quae ab aliis vel a se ipso narrata erant, saepius recoxisse dicere possis, tamen ne certi cujusdum scriptoris vestigia repperisse mihi videar obstat, quod unde quisque eorum, quos laudavi locorum haustus sit pro certo ponere non possum. Sed-ne frustra tantam locorum molem accumulasse videar — id jam nunc mihi omnes largientur ex posteriorum qui Sullae temporibus florebant, auctorum numero eum fuisse, qui hanc dictatoris expeditionem finxit et exornavit cum priores compertum habeamus summatim res Romanas conscripsisse, nostri autem capitis talis sit color ut magis loquacitatis quam brevitatis speciem prae se ferat. Praeterea autem iis quae disputavimus efficitur eundem auctorem praecipue in prima decade persaepe adhibitum videri.

Jam transeamus ad alteram quaestionem quae nobis capite tertio libri nostri proponitur. Quo ineunte Livius enarrat eodem anno scil. M. Livio Dentre M. Aemilio consulibus propter tumultus quosdam dictatorem esse dictum M. Valerium Maximum qui sibi magistrum equitum legisset M. Aemilium Paulum. Sed in aliis annalibus magistrum equitum inveniebat Q. Fabium Maximum, quem ea aetate et eis honoribus M. Valerio subjectum fuisse haud veri simile esse Livius ducebat; discrepantiam autem fontium ita explicare studet, ut in cognomine erratum esse dicat quod idem facit IX. 15. § 11. Qua explicatione quamquam erant, qui[1]) novam exoriri difficullatem putarent, quoniam non magistris equitum commune fuisset Maximi cognomen, sed Valerio dictatori et Q. Fabio magistro equitum, tamen hodie, qui hunc locum interpretantur fere omnes censent Livium ita quaestionis nodum expedire conatum esse, ut Valerii cognomine Maximi nomen Fabii in fastos errore quodam intrusum esse diceret. Attamen Fabii nomen quod hac sua coniectura tollit Livius, etiam in fastis consularibus extitisse ex minutissimis eorum fragmentis apparet. Quorum frustulorum, restitutionem, difficillimam illam quidem sed eandem gravissimam, cum quae sit ratio inter Livium et fastos consulares ea efficiatur Mommsenus suscepit. Cum enim antea fasti

[1]) Pighius annales I. p. 381.

consulares vulgo ita supplerentur[1], ut essent duo paria dictatorum et magistrorum equ., vir illustrissimus et fastorum fragmentis et ceteris laterculis iterum examinatis alia multo probabiliora proposuit supplementa[2], secundum quae solus M. Valerius dictator duos habuit magistros equitum, quorum prior magistratu se abdicavit, alter autem cum M. Valerio in Etruria res gessit. Quae supplementa recta esse cum mihi persuasissimum sit, inde concludo eum qui fastos confecit ex laterculo hausisse, quo quae Livius in diversis annalibus se invenisse dicit ita inter se conciliabantur, ut M. Valerio duo diversorum annalium attribuerentur magistri equ. Jam vero ex sequentibus satis apparebit certos quosdam annalium scriptores saepius quam alios Q. Fabium sive magistratum quendam gerentem sive repudiantem induxisse neque ullus dubito quin verbis: id magis credo squ. illos annales quibus saepius in hoc libro fidem abrogat, Livius refutatos velit. Quam quaestionem propterea praecipue tetigi, quod nuperrime Ungerus, vir doctissimus fastos consulares triumphalesque omnium optimum fontem historiae Romanae esse contendit[3], ego autem eum qui composuit vel confecit fastos, laterculo usum esse aetate inferiore eis annalibus quos cap. III. § 4 Livius in usum vocavit, mihi persuasi.

---

[1]) Corp. inscr. Lat. I. p. 433.

[2]) Corp. inscr. Lat. I. p. 566. Hanc restitutionem refutare conatur Znmptius mus. Rhen. XXVI. p. 28. a. 2. Contra totus assentitur Mommseno: de Boor fasti censorii Berlin 1873 p. 71 a 60.

[3]) G. F. Unger: Die römische Stadtaera München 1879 p. 75. — Miror Ungerum ne verbo quidem l. l. p. 82 ad ann. 453 Mommseni restitutionem commemorasse, praesertim cum hac restitutione accepta optime explicetur qui fieri poluerit, ut fasti Philocaliani hunc annum — 453 — Corvo II et Rulliano, Idatiani autem Corvo et Aemilio tribuerent. Contra Ungerus prioribus retentis supplementis Livium errore inductum Fabii dictaturam omisisse et res gestas inter se confudisse, ut quae ratio inter duas dictaturas intercedat. dignosci non possit, exponit, Pighii ut videtur vestigia premens qui Livium hoc loco historiam male contraxisse dicit. Jam notum est Ungerum quattuor dictaturas annorum 421, 430, 445, 453 veris annis pares computatas censere et nescio an haec sit causa, cur duobus dictaturis positis quam plnrimas res gestas huic anno a Livio omisso vindicet. Sed tantum abest, ut hoc loco totam hanc quaestionem absolvi posse arbitrer, ut nunc solum annum 453 respiciens id moneam Ungerum nimia fastorum fiducia Livii verba neglexisse quibus noster non omnes tantam Etruscorum cladem rettulisse dicit. Hanc autem large descriptam Valerii expeditionem si tollimus, jam fere nihil habemus quod illo anno dictatorio gestum esse censeamus. — Ceternm fasti triumphales cum fonte primario Livii consentiunt. — De fastorum fide historica conf. Mommsenum in: Forschungen II. 224.

Priusquam autem ad enarrandam rogationem Ogulniorum noster transeat, iterum quae alii auctores de Valerio consule aliter narraverint, adnotat: non petentem enim atque adeo etiam absentem creatum tradidere quidam et per interregem ea comitia facta. Sed de hac fontium discrepantia nunc disputare non possumus, ni forte nobis viam concisae argumentationis obstruere volumus, sed satis habeo hunc locum notare, ut infra legentes huc remittere possim.

Vidimus igitur Livium tribus locis: cap. III. 4. cap. V. 13. cap. V. 14 fontium diversitates adnotasse atque id jam nunc contendere possumus, eos annalos, in quibus nihil de magna Etruscorum clade traditum erat, omnium quos inspexit optimos fuisse, fontem autem primarium ut rhetorice exornatum haud magna fide dignum esse. De tertio fonte quem detexisse mihi videor infra uberius agam.

Sequentibus capitibus (6—9 § 3) de rogatione quam promulgarunt Q. et Cn. Ogulnii ut cum quattuor augures, quattuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum quattuor pontifices quinque augures de plebe omnes adlegerentur, de certaminibus quae ob eam inter patricios et plebeios exarserunt, agitur. Non sum nescius mihi haec capita tractaturo complures offerri quaestiones, de quibus jam multi viri doctissimi[1]) egerunt neque in animum induxi de lege Ogulnia ipsa, qualis fuerit, cur rogata sit, quid ex perlata consecutum sit longius disputare neque recoquere volo, quae viri docti dissentientes de augurum et potificum collegiorum numero in compendiis et commentationibus protulerunt. Sed ne imperitus quae his capitibus insint difficultates, videar, magis ponam quam plena et perfecta argumentatione demonstrabo non recte mihi judicasse videri Marquardtium[2]) virum doctissimum, qui errore inductum Livium numerum *octo* pontificum attulisse contendit; id quod ille vir doctus concludere posse sibi visus est ex commemoratione Bardtii[3]) ex qua inter annos 536 et 587 u. c. novem fuisse pontifices apparet. Sed Livii auctor tam accurate de his rebus instructus videtur — conferas velim §§ 1—3 cap. IX — ut potius Mommseno[4]) adstipuler qui inter annos 454 et 536 u. c. unum pontificem adiectum veri

---

[1]) Confer. praecipue Niebuhrii hist. Rom. III³ p. 409—413. Langii librum: Röm. Altertümer I³ 335, 371.

[2]) Römische Staatsverwaltung. Leipzig 1876. III. p. 233. — De auguribus idem agit l. l. p. 383.

[3]) Die Priester der vier grossen Collegien. Berlin 1871.

[4]) Staatsrecht II² p. 21 a. 1.

simile esse coniecit. In ceteris autem Marquardtius me totum assentientem habet qui inter augurum et pontificum numerum necessitudinem quandam intercessisse exponit, ut primum fuerint tres augures et pontifices, qui numerus in coloniis inveniatur, deinde Numae aetate quinque augures et quinque pontifices, quibus duobus collegiis rex ipse sextus interfuerit, tum rei publicae liberae temporibus sex augures et sex pontifices, unde non solum augurum — id quod et ipse Livius adnotat — sed etiam pontificum collegium vel morte duorum vel alio casu ad quattuor redactum esse sequitur. Sed haec hactenus. — Nostrum est inquirere, utrum eundem auctorem in his capitibus retinuerit noster quem antea inde a tertio usque ad quintum caput primarium sequebatur, an alium seu ab initio cap. sexti seu intra haec tria capita in usum vocaverit. Ac primum quidem cum septimo et octavo capite oratio P. Decii legem Ogulniam suadentis contineatur, quaestio existit, num Livius in orationibus, quas narrationi inserit, eadem ratione fontibus usus sit, qua in aliis operis sui partibus. Jam quoniam inter omnes satis constat Livium rhetorum magis quam historicorum praeceptis imbutum fuisse, sine dubio jam nunc contendere licebit in orationibus eum ingenio et arti suae magis indulsisse quam in narrandarum rerum tenore. Atqui temere judicium ferremus si ex suis tantum quae orationibus continentur nostrum sumpsisse statueremus, quoniam ipse se fontium perlegisse orationes testatur [1]). Quod ni ipse indicasset, certissimis ex indiciis jure concluderemus. Sunt enim interdum inter narrationem ipsam et orationes discrepantiae quae nisi aliis adhibitis auctoribus ortae esse non possunt [2]). Confirmatur igitur eis quae ego disputavi sententia Weissenbornii [3]) et Kohlii [4]), qui res et sententiarum ordinem ex fontibus

[1]) Conf. Liv. III. 47. 5. III. 67. 1. V. 27. 12. VI. 40. 1. XXI. 43. XXII. 39 XXII. 60. XXVIII. 43. XXXVIII. 47. XLII. 34. 2. — Primus eorum quos laudavi locorum ob eam praecipue causam notandus est, quod ex eo Livium orationes fontium examinasse et quas non aptas esse censeret non reddidisse cognoscitur.

[2]) Comparentur inter se: VIII. 30. 7. et VIII. 33. 21., IX. 27. 7 et IX. 34. 14. — Praeterea verba IX. 33. 5: „non popularem magis quam justam nec in vulgus quam optimo cuique gratiorem“ cum tenore orationis sequentis — cap. 34 — non conveniunt, quod auctor orationis infestissimum plebis libertati Appium fingit.

[3]) in prooemio edit. mai.[4] pag. 62.

[4]) Ueber Zweck und Bedeutung der Livian. Reden. Progr. Barmen 1872 p. 21.

nostrum deprompsisse arbitrantur, sed ita ut sermonem magis suae aetati adaptaret, alia quae ab ingenio suo aliena essent, omitteret, alia quae vim rhetoricam augerent, hominum loquentium indolem et naturam melius illustrarent, adderet. Jam tempus est quaerere, num quid ex hac ratiocinatione ad investigandos fontes nostrorum capitum lucremur. Ac primo oculorum obtutu coniecerit quispiam, si verba §§ 3—4 cap. VI: »tamen — certamen injectum inter primores civitatis patricios plebeiosque ab tribunis pl. Q. et Cn. Ogulniis, qui undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quaesitis — eam actionem susceperunt, qua non infimam plebem accenderent« sq. et quae ejusdem capitis paragraphis 9—11 et sequenti oratione [1]) exponuntur, inter se comparet, transiisse Livium a scriptore a patriciorum parte stanti ad alium plebis commodis servientem, praesertim cum aliis locis nostrum fontium dissensionem de rebus publicis neglexisse satis sit certum [2]). Attamen incertus haereo, num quod haud sibi constare videtur judicium de Ogulniis eorumque lege prolatum alii se adstrinxisse noster sit judicandus. Neque enim res ipsae inter se discrepant, sed toti orationi quasi color plebeius diffusus est, id quod fecisse putandus est noster, quia Decium legem suadentem inducit. Huc accedit, quod huic Decii orationi multa insunt, quae

[1]) Praecipue respicio verba: „simulabant ad deos id magis quam ad se pertinere“ et paragraphum tertiam cap. VIII: et nunc tribunus „vir fortis ac strenuus.“ — De adiectivis „fortis ac strenuus“ quae inveniuntur apud Livium: I. 34. 6. IV. 3. 16. IV. 5. 5. IV. 35. 9. V. 12. 8. X. 8. 3. XXII. 35. 7. XXIII. 3. 6. XXIII. 15. 10. XXVIII. 40. 4. XXXVIII. 41. 4. XXXVIII. 47. 5. XXXVIII. 49. 8. recte illud quidem Weissenbornius ad XXVIII. 40 adnotat et de viris spectatis et de eis qui maiora affectent ea usurpari, veluti Tarquinius Priscus dicitur vir fortis ac strenuus fuisse quod peregrinus primus et petivit ambitiose regnum et orationem habuit; sed id velim addidisse virum d. in prima decade excepto loco libri primi ea non nisi in orationibus seu directis seu indirectis inveniri et praecipue de eis dici qui potentiae patriciorum obviam eundum esse censebant. — Adverbia „fortiter ac strenue“ leguntur XXI. 4. 4. XXX. 14. 8. — III. 47. 2 codices exhibent strenue ac „ferociter“, sed recte jam alii coniecerunt scribendum esse „strenue ac fortiter“.

[2]) Conf. Lübberti commentationem: observationes criticae de Livii libri quarti fontibus, Giessae 1872. p. 18—23, qui inter capita 48 et 51 illius libri ab auctore patriciis favente ad alium aliter de re publica sentientem transiisse statuit hac potisimum argumentatione usus: verba: „quae possesso per iniuriam agro publico patres pellebat“ alia mente esse dicta atque quae initio cap. 48 leguntur. — Conf. Weissenbornium ad hos locos et Schwegleri hist. Rom. II. 447 a. 1 et 638.

non solum in plebeiorum orationibus, sed etiam in eis quae a plebis acerrimis adversariis habentur, inveniantur; qua re efficitur non auctoris cuiusdam plebis studiosi hanc orationem propriam esse sed Livium, quippe qui in orationibus minus fontium vestigia premeret, res similes tractantem similia verba adhibuisse [1]).

Postquam nomina eorum, qui pontifices et augures cooptabantur, accuratissime recensuit, de lege Valeria tertio lata narrat eamque cum lege Porcia ita comparat, ut hanc »si quis verberasset necassetve civem Romanum« gravi poena sanctam, illi verba: »improbe factum« si quis adversus eam legem fecisset, adjecta dicat. Qui locus perdifficilis cum peculiarem sibi vindicet [2]) commentationem, nobis breviter tantummodo adnotare liceat inter leges Valerias et Porcias, quod hic apud Livium et apud Ciceronem [3]) coniunctae afferuntur, tum quod in moneta quadam [4]) cuius triumvir monetalis est P. Porcius Laeca verbum »provoco« legitur rationem intercessisse putandum esse [5]). Sed maioris momenti est alia res. Livius cum paulo antea diligentius sanctam esse legem Valeriam dixerit, postea verba »improbe factum« legi adiecta ita intellegi vult, ut sanctionem legis Porciae opponat verbis quae legi Valeriae additae erant. Jam alii [6]) ante me ad hunc

---

1) Conferantur velim: IV. 3. 10: „en unquam creditis fando auditum esse“ et **X. 8 § 10**: „en unquam fando audistis“; IV. 3. 13: „poeniteat nunc vos plebeji consulis“. VI. 37. 9: „nec ullius eorum populum Romanum poenituisse“ et **X. 7 § 6—7**; VI. 41. 5: „penes quos igitur sunt auspicia more maiorum? nempe penes patres“ et **X. 8. § 9**: „Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse“. — Non sum ignarus Mauricium Voigtium praecipue respectu loci qui extat apud Dionys. II. 8. Livii capita VII. § 9 — VIII. § 12 Licinio tribuere; confer illius viri commentationem de legibus regiis in: Abhandlungen der Königl. Sächs. Gesellschaft d. Wiss. VII. vol. p. 743 phil.-hist. ce.

2) Conf. praecipue Langii duas commentationes: de legibus Porciis libertatis civium vindicibus. Giessae 1862 et quae Zumptius disputat in: Criminalrecht der röm. Republik. Berlin 1865—69. I. 2. 443 a. 14.

3) Cicero de republ. II. 31. 53—55 tres affert leges Porcias.

4) Mommsen: Münzwesen p. 552 et 526.

5) Non sum nescius Langium et in priore commentationum supra laud. p. 16 et 17 et in compendio antiquitatum (Altertümer II² 519: Insofern von diesem Gesetze, das hiernach kein eigentliches Provocationsgesetz war sq.) negare quidquam novi leges Porcias de provocatione sanxisse. Neque vero a me impetrare potui ut qua ratione Langius verbum „provoco“ monetae interpretatur, eam probem. Confer praeterea Zumptium I. 2. 443 a. 14., Mommsenum Staatsrecht II² 107 a. 2.

6) Zumpt: Criminalrecht I. 2. 51.

locum adnotaverunt, legem *diligentius* sanctam dici non posse cum verba tantum »improbe factum« adiecta sint. Quam ob causam ad primam legem Valeriam haec verba referenda esse viri docti [1]) arbitrati sunt; quod e Livio [2]) evinci non potest, Dionysii autem verbis [3]) *τὸν δὲ παρὰ ταῦτά τι ποιεῖν ἐπιχειροῦντα νηποινὶ τεθνάναι κελεύων* prorsus repugnat, ni forte errore inductum Dionysium hanc sanctionem primae tribuisse legi arbitraris. Huc accedit, quod Livii verba: »Valeria lex —; id, qui tum pudor hominum erat« non nisi ad legem paulo ante commemoratam referri possunt ac cum ne de secundae quidem legis Valeriae sanctione quidquam certi constat — nam *nova* erat lex anni 305 qua ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet vetitum erat — tertiam verbis »improbe factum« sanctam fuisse jure concludemus [4]). — Sed jam porro progrediamur ut ne in sequentibus quidem alium sibi elegisse fontem primarium Livium demonstremus. Breviter enim narratis rebus a M. Valerio Q. Apulejo consulibus gestis novos creatos esse dicit consules M. Fulvium Paetum T. Manlium Torquatum. Sed adicit — § 10 — aliorum quoque relationes de sequentis anni magistratibus creatis. Macer enim Licinius ac Tubero Q. Fabium Maximum *non petentem* ab omnibus centuriis consulem creatum repudiasse consulatum eundemque ut sibi in bellicosiorem annum illum magistratum differrent orasse; nihilo secius autem *non petentem* cum L. Papirio Cursore aedilem curulem factum memoriae prodebant. Atqui cum supra [5]) scriptores quosdam Q. Fabium M. Valerio magistrum equ. attribuisse viderimus, porro cum in sequenti libri nostri parte ubi ab auctore primario Livium recessisse manifestum est, non *petens* et invitus Fabius consul creetur, non a vero aberrabimus, si scriptores quos IX. § 10 laudat Livius, cum non petenti atque quasi invito magistratus Fabio esse delatos narrarent, Fabii gloriae nimis favisse et ab aliorum fastis discrepuntes illius viri nomen falso in fastos intrusisse historiamque Romanam obscurasse statuemus [6]). Sed

---

1) Lange: Altertüm. I³ 579.

2) II. 8.

3) V. 70.

4) De eadem re disputat E. Meyerus in museo Rhenano 37. p. 626.

5) conf. p. 9.

6) Nescio an et ipsa verba § 14 cap. V: „non petentem atque adeo etiam absentem creatum *tradidere quidam*“ ad eundem Licinium referenda sint, ut bis eum inde a tertio capite usque ad finem quinti — III. § 4 et V. § 14 — inspexisse Livius sit putandus.

Pisonis vetustioris scriptoris auctoritate motus, quae exhibebant illi scriptores, Livius respuit et fastorum diversitatem eodem modo quo IX. 15. X. 3 explanare studet. Hoc autem nostrum caput non propterea solum notandum est, quod multos inter se contulisse Livium eo efficitur, sed etiam quod hoc loco iterum cognoscimus, quam accurate fontium proprietates Livius retinuerit. Nam prorsus a Livii consuetudine abhorret haec dicendi ratio: Cn. Domitius *Cn. F.* Calvinus, quam in fastis diligenter compositis, ne nomina inter se confundantur semper invenimus[1]). Jure igitur Pisonis testimonio nisus Licinii et et Tuberonis narrationem ut fabulam »mixtam ex aediliciis et consularibus comitiis« reicit, et id tantum miramur quae hic Pisone teste fabulose de magistratus repudiatione narrata esse cognoverat, eadem infra saepius specie quadam veritatis repeti. —

Sed hoc excursu critico narrationis tenore interrupto scriptor rursus ad res ipsas quae M. Fulvio Paeto T. Manlio Torquato coss. gerebantur exponendas se vertit. Narrat igitur Nequinum oppidum quod Apulejus prioris anni consul nec vi nec munimento capere potuisset proditione duorum ex oppidanis qui cuniculo Romanos in urbem recepissent, in dicionem populi Romani venisse. Non est operae largius demonstrare qua fide digna sit haec narratio cuius auctor in hac antiquitate rerum unumquamque rem: proditionem Nequinatium, consilia imperatoris, occupationem oppidi diligentissime describit[2]): optime enim quam lubrica sit fides auctorum, quos adhibuit Livius ex sequentibus paragraphis huj. cap. videmus, quoniam de hac Gallorum incursione Polybium[3]) possumus consulere. Is enim auctor certissimus nihil de Etruscis deceptis et Gallis agros postulantibus exhibet, sed potius Gallos agros Romanorum pervastasse et praeda onustos domum rediisse tradit. Sed diligentius de hac re infra edisseremus. — Cui tumultu qui propter adventum Gallorum Romae ortus esse dicitur res a P. Manlio et M. Valerio in Etruria gestae adnectuntur, tum sequitur indicium, quod de Samnitibus bellum molientibus Picentes fecerunt. Atque cum ex his quae

---

[1]) Eadem diligentia etiam alio loco qui Gellio — VII. 9 — teste e Pisonis annalibus fluxit; invenitur IX. 46. 1: Cn. Flavius Cn. filius scriba. — Pisonem rebus chronologicis operam navasse jam Peterus monuit in: hist. Rom. relliquiae I. p. CXCII. Lips. 1870.

[2]) Quin eo tempore Nequinum sit captum, non est dubium.

[3]) II. 19.

breviter tantum Livius perstringit, nihil de Livii fonte lucremur, nona paragrapho cap. XI ansa nobis .praebetur denuo statuendi Livium quae de annis 455. 456 u. c. memoriae mandat, ex eodem sumpsisse fonte, quem in narratione perpetua primarium habebat. Neque enim si ab hoc auctore quantopere Q. Fabius in caritate annonae de civitate meritus esset, expositum esset, verba: »ut scripsere, quibus aedilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet«, apposuisset Livius, quippe qui aut ut novi aliquid addat, aut ut — quod in nostrum locum non convenit — rei suspectae testem afferat, nomina scriptorum laudet.

Notum est a scriptoribus Romanis causas bellorum persaepe ita describi, quasi Romani a sociis implorati rem eorum gesserint. Non est operae pretium singula afferre exempla — nam in propatulo sunt —, sed illud velim considerari, quantopere inter se conspirent Livii capita, quibus causae trium bellorum quae Romani cum Samnitibus gesserunt et res ante bellum indictum actae continentur. Ac primum bellum Samniticum propterea ortum est, quod legati qui ut Samnites abstinerent agro Campanorum dediticiorum populi Romani postulaverant, ferox rettulerunt responsum[1]) et quod tum stantibus illis legatis praefecti cohortium in agrum Campanum proficisci iussi erant; quibus de causis fetialibus missis solemni more bellum indicitur[2]). Secundum autem bellum exarsisse dicitur, quod haud ambigue vicinos populos Samnites sollicitare Romae compertum erat, qua re cognita Romani legatos miserunt quibus et ipsis cum ferociter responsum esset, novis consulibus creatis[3]) fetiales missi bellum indixerunt. Prorsus autem similes sunt nostro libro causae, propter quas tertium susceptum est bellum Samniticum, sed ita, ut hic ambae causae et vicini sollicitati et socii armis lacessiti conjunctae afferantur, quamquam primo oculorum obtutu auxilium a Lucanis petitum causa belli indicendi fuisse

---

[1]) Dionysius scriptorum annalium Romanorum verba: „ferociter est responsum“ vel: „ferox redditur responsum“ vertit: *αὐθάδεις λαμβάνειν ἀποκρίσεις* e. gr. V. 37. — Operae sit pretium, quas locutiones ad verbum expressas ex annalibus Romanis desumpsit Dionysius, eas accurate digerere.

[2]) VII. 31. § 8—12. VIII. 23. 2—10 et 25 § 2. X. 11 § 7. X. 11 § 11 — X. 12 § 2. — Ceterum Weissenbornius recte ad VIII. 23. 10 ed. mai.[4] adnotat illum locum lacuna hiare.

[3]) VIII. 26. § 2.

videtur[1]. Livius enim hunc rerum ordinem exhibet: Postquam Samnites arma et rebellionem spectare a Picentibus nuntiatum est — quod anno 455 u. c. factum narratur — et Romani cum Lucanis foedus iunxerunt, fetiales a Romanis missi re infecta — nam legati Samnitium, ne concilium in Samnio adirent eos praemonuerant — Romam redierunt. Quam ab causam bellum indicitur quod a Cn. Fulvio consule, qui Samnites ad Bovianum clara pugna devicit[2], feliciter geritur. Sed maioris sunt momenti, quae de rebus a Scipione in Etruria gestis referuntur. Lucius enim Scipio, cui Etruria obvenerat provincia pugnam ad Volaterras committit, quae nocte interveniente dirimitur. Hanc aliis alibi narratis simillimam esse jam Ihnius ante me notavit[3], ego autem quamquam me non praeterit lubricum esse ex eiusmodi indiciis certum quendam scriptorem eruere velle — nam persaepe in annalibus nocte vel tempestatibus diremtae narrantur pugnae[4] — ex hoc loco si non nomen, certe aetatem auctoris evinci posse mihi persuasum habeo. In capite enim tertio vicesimo libri noni legitur: »nox incertos victi victoresne essent diremit« quae verba quantopere cum nostris: »nox incertis qua data victoria esset, intervenit« conspirent eundemque auctorem sapiant non opus est demonstrare, sed illud velim respici narrationem noni libri ipso Livio teste desumptam esse ex scriptore ab aliis, qui adversam fuisse pugnam ad Lautulas dicebant, discedente. Jam forte evenit, ut

---

1) Dionysius XVII 1 K. eam causam belli affert quam Livius cap. 11 §§ 11—13 exponit, altero autem fragmento XVII. 2 K. efficitur, disceptasse inter se Romanorum legatos Samnitesque cum secundum Livii narrationem fetiales aliquod in Samnio concilium adire vetiti essent. In fontes Livii ex his Dionysii frustulis nulla redundat lux.

2) Non praetermittendum esse censeo Livii testimonio IX. 44. 15 „quosdam“ tradidisse M. Fulvium anno 449 u. c. Bovianum cepisse, quam relationem secuti sunt fasti consulares et triumphales. corp. inscr. lat. I. 433. 456. — Et ipse Cn. Fulvius consul anni 456 secundum verba: „Bovianum inde aggressus“ eandem urbem cepit.

3) Historia Romana I. 392. a. 22; sed quam similitudinem inter Liv. II. 7 1 et X. 12. 5 statuit vir illustris, eam multis aliis extare locis apparebit.

4) Jam apud Ennium annal. rell. V. 2 v. 172 V. legitur: „bellum aequis manibus nox intempesta diremit“ quem versum exhibet Acro ad Hor. ep. II. 2. 97 haec addens: ut Romani quondam pugnaverunt cum hostibus Samnitibus. Dubitat Vahlenus in quaestionibus Ennianis p. 45 utrum versus ad VII. 33 an ad X. 12 referendus sit. Nolim Vahlenum de nostro loco cogitasse, nam cum Etruscis, non cum Samnitibus res geritur. — Confer. praeterea Liv. IV. 39. VII. 33. IX. 23. XXVII. 2. XXXV. 21. Dionys.: V. 39. 46. IX. 13.

Diodorus[1] ea de pugna certiora nobis tradiderit quae cum eis quae Livius sequenti — quinta — paragrapho ej. cap. exhibet congruunt et sine ullo dubio, quia ex vetustioribus annalibus fluxerunt, ad veritatem historicam propius accedunt. Inde sequitur auctorem Livii, qui antea ancipiti proelio dimicatum esse noctemque incertos victi victoresne essent, diremisse narraverat, ex posteriorum numero esse, qui omnes clades Romanas oblitterare studebant. Ad eundem igitur auctorem etiam nostrum locum referendum esse censeo.

Quae si recte disputavi, Friedersdorfii sententia in commentatione de libro XXVI[2] prolata corrigenda esse videtur. Is enim totum librum XXVI Coelio Antipatro vindicat atque etiam eam partem, ad quam saepius legentes relegavimus — dico capita 5—11 — quamquam ipsum Livium habet obloquentem[3], ego autem quoniam saepius rerum verborumque similitudinem inter capita laudata libri XXVI et nostrum librum intercedentem notavi, non dubitavi illa capita eidem tribuere scriptori quo primario Livius in decimo libro usus est. Atque ad hanc meam sententiam optime quadrat, quod in capite undecimo libri XXVI imber ingens grandine mixtus pugnam ad Romae portas turbasse dicitur, neque enim solum nocte interveniente pugnae in annalibus Romanis dirimuntur, sed etiam tempestatibus[4] et quod Friedersdorfius Wölflinium secutus[5] has pugnas tempestate quadam diremtas proprietatem fuisse narrationis Coelianae et quae in prima decade inveniantur, a posterioribus secundum Coelium esse fictas dicit, vir doctus errasse putandus est, quod nec paragr. decimam cap. XI satis accurate interpretatus est nec quantopere locus libri secundi[6]: »foeda *tempestas cum grandine* — tranquilla *serenitas reddita*, ut iterum — — *religio fuerit*« cum initio capitis undecimi conspiret, respexit.

---

1) Diodor. XIX. 72. Conf. quae disputavit de tota hac quaestione Clasonius hist. Rom. II. p. 57. 58.

2) Friedersdorf: das 26. Buch des Livius. Progr. gymnas. Marienburg. 1874. p. 10.

3) Et ipse O. Gilbertus qui de Friedersdorfii libello judicavit, in: Philol. Anzeiger VIII. p. 141, notavit hunc errorem. Quamquam multum abest, ut Gilberti ipsius sententiam probem, qui argumentis non allatis Claudium Livii auctorum esse censet.

4) II. 63. 3. VI. 8. 7. VI. 32. 6. VIII. 1. 4. XXIII. 44. 4.

5) Wölflin: Antiochus von Syracus sq. p. 64.

6) II. 62. § 3.

Sed jam orationem nostram reflectamus ad caput duodecimum nostri libri. Quae post pugnam ad Volaterras commissam de Etruria a Scipione vastata, de castellis vicisque[1]) incensis uberius proferuntur, ita sunt comparata, ut quod fuerit Scipionis belli gerendi consilium ex eis intellegere nequeas[2]). — Sed priusquam ad caput tertium decimum transeam, iterum breviter de discrepantia, quae est inter Livium et fastos triumphales, edisseram. Nam cum Livius Cn. Fulvium de Samnitibus ad Bovianum victis solis triumphasse exhibeat, in fastis triumphalibus ad hunc annum de Samnitibus Etruscisque agitur, quibuscum Frontini[3]) narratio qui complura Fulvii Nobilioris cujusdam strategemata exhibet, consentire videtur ac propterea erant[4]), qui ad annum 456 u. c. has Fulvii Nobilioris res gestas referendas esse opinarentur. Aliter autem Pighius[5]) eumque secutus Mommsenus[6]) qui anno 455 u. c. Frontini narratiunculas attribuerunt, quod in fastis triumphalibus M. Fulvius Cn. f. Cn. n. anni prioris consul non solum de Nequinatibus, sed etiam de Samnitibus quibus

1) Ungerus in commentatione saepius laudata: Die röm. Quellen d. Livius ect. p. 132 locutionem: „castella vicique“ Antiatis propriam esse docuit. Sed ipse vir doctissimus jam adnotavit substantiva citata etiam in eis Livianae narrationis partibus inveniri, quae sine dubio ad Polybium referendae sint: XXXIII. 18. 20. XXXVIII. 30, 9. 31, 2. 38, 4. XLV. 29. 9. — Haec substantiva jam a veteribus annalium scriptoribus adhibita esse, inde maxime colligo, quod apud Diodorum XIX. 72, qui locus e scriptore Romano fluxit, legitur: *πολίσματα καὶ χωρία* scil. *προσαγόμενοι* quae verba versionem esse graecam locutionis: „castella vicique“ opinor.

2) Hunc ad locum pertinet inscriptio sepulcralis L. Cornelii Scipionis:

Cornelius Lucius Scipio Barbatus
Gnaivod patre prognatus, fortis vir sapiensque
Quoius forma virtutei parisuma fuit.
Consol Censor Aedilis, qui fuit apud vos
Taurasia Cisauna Samnio cepit
Subigit omne Loucanam opsides abdoucit.

Quas autem res secundum hoc elogium in Samnio et in Lucania gessit Scipio, eas ad consulatum referendas esse constat. Sed nec cum Livio nec cum fastis triumphalibus hic titulus conciliari potest. Quoniam autem Ritschelii illustrissimi viri commentatione edocti sumus hoc elogium fere anno demum 520 u. c. compositum — opusc. IV. 226 — ne ex hoc quidem titulo certi quidquam de rebus ipsis constitui potest.

3) Frontinus I. 6. 1, 2. I. 11. 2.

4) Veluti Niebuhrius hist. Roman. III³ 422—423.

5) Pighius annal. I. 386.

6) Mommsenus corp. inscr. lat. I. p. 11 sqq.

secundum Livium proximis demum consulibus bellum indictum est, triumphat. Jam vero cum supra docuerimus de tertii belli Samnitici causis quasi duas diversas a Livio afferri relationes, unam ad annum 455 u. c., alteram ad 456 pertinentem, porro cum fasti triumphales a Livio recedentes jam anno 455 u. c. victos Sanmites memoriae mandent, haud temere conicere mihi videor Livium hoc loco scriptorem fide indignum, quippe qui aliorum annales incaute compilaverit et res diversorum annorum miscuerit exscripsisse[1]). Itaque cum jam illius scriptoris, quem sequebatur Livius, temporibus tam incertae essent res annorum 455 et 456 ut confunderentur, facere non possum quin operam perditam esse dicam, inquirere cui anno res a Frontino narratae tribuendae sint[2]).

Adnectitur caput tertium decimum verbis »eodem anno — deducta«; ac cum supra[3]) Livius Carseolos coloniam, quam Marsi aggressi essent anno 452 u. c. jam deductam fuisse narret, hic anno demum 456 u. c. deductam dici jure mireris[4]). Quam ab rem rectam esse censeo eorum sententiam, qui alios hoc capite nostrum contulisse scriptores magis coniectura assecuti sunt[5]), quam certis argumentis firmaverunt. Quod munus ut nos praestemus diligentius nobis examinanda est narratio, qua noster Q. Fabium repudiantem consulatum introducit. — Postquam enim Romam nuntiatum est, Sanmites Etruscosque ingentes conscribere exercitus terrorque ob

1) Ac ne de secundi quidem belli Sanmitici initio satis constat. Nam quamquam jam VIII. 23 § 13 L. Cornelius in Sanmium ingressus esse dicitur, tamen cap. 25 demum § 2 mittuntur, qui Sanmitibus bellum indicant. Conf. Weissenbornium ad hos locos.

2) Totus adstipulor Madvigio qui et ipse — Römische Staatsverwaltung II. 493 a. — ad certum tempus Frontini testimonium referri posse negat.

3) cap. 3. § 2.

4) Carseolos coloniam iterum deductam, quo colonorum numerus augeretur non est cur suspicemur. Nam jure mireris, cur id non capite tertio post Marsos fusos commemoretur; accedit, quod hic auctor in Aequiculorum agrum deductam coloniam adicit, id quod supra cap. III. 2 omissum est. Quibus de causis F. Lachmanno: De fontibus hist. T. Livii I. p. 99 adstipulari non possum. — In periocha sine ullo dubio verba: „coloniae deductae sunt sqq.“ ad res in capitibus 1—3 narratas spectant. Et ipse Velleius I. 14 anno 453 u. c. coloniam deductam dicit, quo ex loco Ungerus — Stadtaera p. 83 (167) — conclusit Velleium annos dictatorios computasse. Aliter et mea quidem sententia rectius judicaverat vir doctissimus in philologi vol. XXXIII. p. 731.

5) Cluveri Italia antiqua I. p. 784. Glareanus ad caput tertium nostri libri, Weissenbornius ad cap. XIII. § 1.

eam causam ortus est, omnes centuriae Q. Fabium non *petentem* consulem dicturae erant; qui cum frustra aetatem provectiorem excusasset, legem recitari jussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret. Nihilo secius autem cum P. Decio, quem ut secum consulem facerent, omnium consensu victus petiverat, consul creatur. — Ac primum quidem notandum videtur iterum hoc loco Fabio non petenti atque adeo recusanti consulatum mandari, id quod scriptores quosdam ut gloriam gentis Fabiae in maius augerent, fecisse ex capite nono § 10 intellegi potest. Tum autem si Livii fastos sequeris, inter tertium et quartum Fabii consulatum undecim anni intersunt, ut quo jure hanc legem repudiationi praetendere potuerit, non intellegas. Hac autem ex re viri docti[1]) recte concluserunt, Livium hic calculo chronologico usum esse ab eo, quem in antecedentibus adhibebat, recedente. Atqui teste Livio[2]) Piso binos transcenderat consules, ut hic scriptor, cum non undecim sed novem annorum spatium inter tertium et quartum Fabii consulatum esset, jure Fabium illa lege repudiationem excusasse dicere posset[3]). Ex his igitur indiciis coniecerit quispiam, nostrum hic Pisonem secutum esse. Sed ab omni verisimilitudine abhorret illius scriptoris exiles et tenues annales a Livio in enarrandis rebus usurpatos esse. Quam ab causam eum hic subesse arbitrabar, cujus annales necessitudine quadam coniunctae fuisse videntur cum Pisone. Duobus enim locis, ubi Pisonem Livius sine dubio inspexit, Licinii nomen citatur: IX. 46. 2 et X. 9. 10, quae est causa cur a Pisone Licinium rationem chronologicam mutuatum esse statuere posse mihi visus sim. Hac igitur argumentandi ratione remittimur ad eum locum[4]) quo diserte Livius res anni 455 u. c. enarrans adicit, Licinium memoriae prodidisse Fabium non petentem centurias consulem creare voluisse. — Quod caput si recte Licinio tribuimus, etiam alii nostri libri, loci quibus eadem res eisdem paene verbis exponitur, eidem vindicandi erunt; quod progrediente disputatione aliis argumentis plenius demonstrabitur.

---

[1]) De hac re disputaverunt: F. Lachmannus de fontibus histor. T. Livii I. p. 73, quem secutus est Peterus veter. hist. Rom. rell. I. CXCIX. Mommsensus Staatsrecht I² 501 a. 1. Ungerus Stadtaera p. 84 (p. 168 in commentationibus acad. reg. Bav. vol. XV. 1).

[2]) Liv. IX 44 2.

[3]) De eadem causa fortasse hoc demum anno Carseoli colonia deducta commemoratur.

[4]) cap. 9 § 10.

Quoniam igitur ex solius nostri capitis indiciis Licinium auctorem esse conclusimus, nescio an ex aliis locis recte sese habere nostram sententiam cognosci possit. In capite vexatissimo duodevicesimo libri quinti, ad quod infra cum de capite vicesimo secundo agendum erit, recurremus haec fere narrantur: P. Licinium Calvum non *petentem* populus Romanus tribunum militarem creaturus est; quem magistratum ordine comitiorum interpellato cur repudiet maxime exactam aetatem causam esse P. Licinius dicit et filium suum Romanis commendat. Res igitur cum eis quae in decimo libro exponuntur, optime consentiunt et ut P. Licinius filium vicarium pro se civibus commendat, ita Q. Fabius Decio suffragatur. Jam alii ante me hoc caput e Licinio Macro desumptum esse adnotaverunt[1]), quia sine dubio auctor ejus laudi gentis Liciniae servit; quod Licinium fecisse Livii testimonio constat[2]). — Ac ne illud quidem praetermittam, ut quae infra demonstraturus sum jam nunc legenti probem, auctorem huius tertii decimi capitis rerum ad rem publicam pertinentium haud peritum tempora commiscuisse. Nam cum aetate tertii belli Samnitici centurias eo ordine suffragium tulisse, quo exercitus Romanorum eductus est, certum sit, Livii verba: »ut quaeque intro vocata erat centuria« si recte interpretaberis non nisi de temporibus recentioribus quibus centuriatorum comitiorum ratio commutata erat, intellegi possunt. Verba enim: »ut quaeque *intro* vocata erat centuria« idem valent ac: ut quaeque ex saeptis in ovile pontibus transibat.[3]) Nam in pontibus posterioribus temporibus centuriae suffragium ferebant, antea centuriae in suffragium discedebant.[4]) Sed haec hactenus, jam transeamus ad caput quartum decimum.

---

[1]) Veluti Weissenbornius ad h. l. — Clasonius hist. Rom. II. p. 73. 80. — Nescio an huic loco subiungere liceat locum persimilem Dionysii IX. 42: *καὶ αἰτὸν πολλὰ ἀντειπόντα καὶ οἰδ᾽ εἰς τὸ πεδίον ἐλθεῖν βουληθέντα ἕνεκα τῶν ἀρχαιρεσίων, οἰδὲν ἧττον προεβοίλευσάν τε καὶ ἐψηφίσαντο ἀπόντα ἴπατον.* — Ac de huius quidem loci auctore certi quidquam statuere non audeo. caput autem 72. libri quinti quo T. Larcii repudiatio narratur e Licinio haustum esse mihi persuasi et quod hic scriptor capite 74. ejusdem libri laudatur et quod Dionysius in fine libri quinti vehementer in Sullae dictaturam invehitur, id quod fontem secutum eum fecisse fere certum est.

[2]) Liv. VII. 9.

[3]) Recte Weissenbornius ad h. l. adnotat: in die saepta, dann in das ovile.

[4]) Conf. de hac re Langii compendium: Röm. Altertümer I³ 562. 563: Solange diese streng militärische Form beibehalten wurde, waren weitere Vor-

Inest in hoc capite larga descriptio pugnae contra Sannites commissae, quae eundem sapit auctorem, cujus indolem ac naturam supra jam adumbravimus: quod ut melius cognoscatur, etiam hoc caput in singulas quasi discindam particulas .easque quatenus eis fides attribuenda sit, examinabo.

Postquam aliquamdiu ambo consules Q. Fabius Maximus P. Decius Mus Samnitium fines populati sunt, Q. Fabius ad Tifernum iniquo loco manus cum hoste conserit. Jam initio pugnae enarratae auctor Livii nobis persuadere vult, Samnites quando in apertum semel[1]) evasura esset res, ex locis superioribus in aequum descendisse ut et ipsi justa acie concurrerent, quam rem haud ita fide dignam saepius factam esse legimus, veluti: IX. 13. § 4: Sanmites in loca plana — agmen demittunt; IX. 37. 2: aviditate pugnandi quam primum in campos delata acies; XXXV. 4. 7[2]): et recto ac justo proelio ubi vera vinceret virtus dimicandum viderunt. — Tum cum aliquamdiu ancipiti Marte pugnatum esset, cujus rei Livius vel potius ejus auctor duas potissimum causas affert[3]), Fabius Maximum filium et M. Valerium tribunos militum equites adhortari, ut omni opera adnisi impetum in hostes facerent, et P. Scipionem legatum in proximos montes quam occultissime hastatos primae legionis circumducere jubet. Supersedeo monere, quotiens equitum operam imperatores exigant eosque ut honorem nominis Romani tueantur, adhortentur[4]), sed illud adnotem hunc equitum impetum eodem fere modo ut in capite 28 § 11 et 36 § 5 nostri libri ad irritum cadere. Tum quod Scipio legatus eo ipso temporis momento, cum maxime premebantur Romani, auxilio

---

kehrungen zum Zwecke der Abstimmung wie die saepta und pontes der späteren Zeit unnötig. II² 458.

Ceterum quam hoc et aliis libri nostri locis moderationem Q. Fabius ostendit, eandem cognovimus ex alius scriptoris narratione, sed ita res immutata est, ut cum in decimo libro suos deprecetur honores Fabius, apud Valerium Maximum IV. 1. 5 ne filio consulatum Romani mandent, constanter agat.

1) Particula „semel“ apud Livium saepius cum coniunctionibus: *si* V. 20. 5 *ut* VI. 32. 8 *quoniam* XI. 13. 7 *quando* X. 14. 8 coniungitur. Unum tantum exscribam locum, quem velim cum Dionysio VI. 33 conferas. Livius VI. 32. 8: *ut semel* inclinavit pugna; Dionysius. l. 1: ὡς δ' ἅπαξ ἀνεκόπησαν sq.

2) Ungerum si sequeris, ex Antiate hoc caput fluxit: Die röm. Quellen p. 85.

3) Idem fere dicit Livius VII. 37. 4: .... *omni robore juventutis* domo *accito certamine ultimo* fortunam experiri statuit. Conf. praet. VII. 7. 5.

4) Similiter auctor cap. 31 libri XXXIX pugnas exornavit, conf. Unger; die röm. Quellen sqq. p. 142.

venit et quod salubri errore legiones Romanae summo pugnandi ardore inflammantur, ne alterius consulis exercitus victoriae decus reportet, id tam tritum usitatumque est in annalibus, ut alia offerre exempla pigeat[1]). Huc accedit, quod auctorem Livii fingendi studium ita abripuit, ut res a verisimilitudine prorsus abhorrentes narret[2]). Iam finem huic de quarto decimo capite disputationi imponere possem, ni de una re quae haud parvi momenti esse videtur expromere sententiam placeret. Legimus enim cap. 30 § 7 nostri libri: »Volumnius in Samnio interim res gerit Samnitiumque exercitum in *Tifernum montem* compulsum *non deterritus iniquitate loci fundit fugatque.*« Quid? quod hanc victoriam quam non in omnibus annalibus se invenire Livius dicit, Q. Fabio Maximo P. Decio Mure eisdem consulibus reportatam scimus? Nonne cum mentiendi libidinem scriptorum Romanorum ipse Livius largiatur, hanc pugnam quam ita in capite XIV esse descriptam, ut interdum res haud verisimiles proferantur, probasse nobis videmur, in priorem eorundem virorum consulatum anni 457 translatam admodum probabile est? Accedit quod et ipsa pugna anni 457 u. c. quamquam Samnites superiore ex loco Romanos adoriri parabant, a Q. Fabio consule committitur quod fere idem est ac quod supra legimus: non deterritus iniquitate loci[3]).

Jam quod antecedentibus demonstrare studui Livium capite 14. se ad eundem iterum convertisse auctorem quem inde ab initio cap. 13. seposuerat, nunc mihi propositum est ut auctorem cap. 14. capita sequentia non scripsisse comprobem. Cum enim cap. 14. § 4. Decius cum Q. Fabio Roma profectus per Sidicinum agrum in Samnium legiones duxisse et propulabundus per hostium fines incessisse narretur, capite quinto decimo legimus eum Apulis ud Maleventum[4]) fugatis

---

1) Liv. IV. 33. 9. IX. 23. 15.

2) Conf. Weissenbornium ad hunc locum ed. mai⁴: Die Schwächung der ersten Linie wäre unter den §§ 9 und 17 geschilderten Verhältnissen höchst auffallend.

3) Fortasse e re erit breviter monere hoc in eapite — § 20 — duo alliterationis quam vocant, exempla inveniri: „*f*ugae *f*ormidinisque Samnites implevit, maxime territos ne ab altero exercitu *in*tegro *in*tactoque fessi opprimerentur,“, quorum posterius in decimo tantum Livii libro cap. 27 § 9 cap. 36. 3, ubi prolixe pugnae describuntur, et apud Curtium Rufum (V. 20. 5) legitur.

4) Ex hoc loco iterum cognoscitur, quam ignari fuerint locorum regionumque Italiae scriptores Romani. Falso judicavit Friedersdorfius in dissertatione sua: Livius et Polybius Scipionis rerum scriptores Götting. 1869 p. 24: Italiae quidem accuratam cognitionem habebant.

ut Samnitibus se ante proelium coniungere non possent, in Samnium legiones duxisse, unde apparet, auctorem capitis decimi quinti Decium cum Fabio jam antea Samnium pervagatum non prodidisse et omnino alium rerum gestarum ordinem exhibuisse. Cum de capite XIII. dissererem, satis mihi exposuisse videor Licinium esse auctorem cui iteratas repudiationum narrationes debemus et cum auctor capitis quinti decimi verbis: »eadem fere quae priore anno dicendo abnuere« ea quae capite XIII continentur respiciat, inde capitis XIII auctorem nostri quoque quinti decimi narrationem composuisse efficitur.[1]) Atque magnopere huic meae sententiae favet, quod Appium Claudium Caecum Livius enixe operam dedisse narrat, ut patricii duo recuperarent consularia loca. Nam ut erat Licinius studiosissimus partis plebeiorum et adversarius patriciorum, ita hic Appium Claudium quam infestissimum plebis commodis fingit eumque idem agentem quod Cicerone teste interrex, »cum de plebe consulem non accipiebat« molitus est, facit[2]). Quae autem sequuntur capita — 16 et 17 — novis firmant sententiam meam argumentis. Nam postquam Livius Decium proconsulem L. Volumnio Appio Claudio consulibus Samnitium exercitum finibus in Etruriam expulisse[3]) et tria oppida Murgantiam, Romuleam,

[1]) Infra ne longior sim, locos quibus eadem Fabii repudiatio et suffragatio describitur, apponam ut inter se comparari possint.

cap. XIII. § 12: ceterum quoniam . . . . . estis in collega sit meae apud vos gratiae locus: P. Decium *expertum mihi concordi collegio*, virum sqq.	cap. XXII § 2: id senectutis suae . . . . fore *censura duobusque consulatibus simul gestis expertum* se nihil *concordi collegio* firmius ad rem publicam tuendam esse.	cap. XXVI. § 2: ceterum si . . . . darent, quonam modo se oblivisci P. Decii *consulis per tot collegia experti* posse?

[2]) Ad hanc rem referenda sunt verba auctoris de viris illustribus cap. 34: ne consulatus cum plebeis communicaretur, acerrime restitit (scil. Appius). — Ceterum confer. de hoc capite: Mommsenus: Forschungen I. 311. Ihnius hist. Rom. I. 364 a. 4. 394 a. 97 Peterus hist. Rom. rell. I. CCCXXXXV a. 1. — Quo jure Ungerus (Stadtaera p. 84) scripserit: man kann auch umgekehrt den Schluss ziehen, dass die Quelle von X. 15. 9 den Hinweis auf das licinische (?) Gesetz für das Vorjahr nicht anerkannte, non video.

[3]) Scilicet, si magniloquentiae scriptorum Romanorum fidem habemus, *pulsi* sunt Samnites. Neque vero ita res obscurare potuerunt, ut non veri aliquid perluceat. Sequitur enim e verbis cap. 17 § 1: „ubi comperit per exploratores profectum Samnitium exercitum“ fefellisse Samnites Decium et nesciente eo in Etruriam, ut coniuncti cum Etruscis denuo fortunam tentarent, profectos. E recentioribus praecipue Niebuhrius noster hist. Rom.[3] III. 431. consilium Samnitium laudibus celebrat.

Ferentinum cepisse exposuit, in fine cap. 17 praeter eam, quam ipse protulit narrationem, tres alias relationes commemorat, quarum uniuscuiusque summam breviter adumbrat. Verba Livii haec sunt: »Huius oppugnatarum urbium decoris pars maior in quibusdam annalibus ad Maximum trahitur, Murgantiam ab Decio, a Fabio Ferentinum Romuleamque oppugnatas tradunt. Sunt, qui novorum consulum hanc gloriam faciant, quidam non amborum, sed alterius L. Volumnii, ei Samnium provinciam evenisse.« Quibus relationibus recensitis non cuinam maior tribuenda sit fides — id quod nos exspectemus — diiudicat, sed initium facere videtur narrandi belli ingentis, quod in Etruria interim concitum erat. Neque vero ita eo munere fungitur, ut statim quid sit gestum in Etruria perhibeat, sed tamquam initio anni quae provincia utrique consulum evenerit, quot et quae legiones consules secutae sint, quae Appius in Etruria Volumnius proconsulesque in Samnio gesserint, narrat. Ac praecipue Volumnii commemoratis rebus nescio an ansa nodi solvendi nobis praebeatur. Dicit enim Livius — cap. 17 § 11 — quosdam gloriam urbium in Samnio oppugnatarum Volumnii facere. Atqui cum noster — c. 18 § 8 — eundem Volumnium tria castella in Samnio cepisse narret, porro cum Q. Fabii P. Decii proconsulum ita fiat mentio, ut ille de quo silebat auctor capitum 16. et 17., Lucanorum seditiones compressisse, hic post *profectum demum consulem* hostium agros depopulatus esse dicatur, inde optimo jure colligi potest, Livium cum tres illos auctores inspexisset et quem fontem postremo loco nominavit eum vidisset largissime contentionem illam inter L. Volumnium et Appium Claudium enarrare, hunc secutum esse, et quamquam antecedentibus capitibus rebus in Samnio a Decio gestis expositis ad res Etruscas transire oportuit, tamen eundem non ita a fonte recedere voluisse, ut quae cum rebus sequentibus nexu quodam cohaererent, omitteret. Quibus de causis bis eadem ex diversis fontibus narrata esse censendum est[1]). Atque ni quae disputavi ad sententiam meam probandam sufficiant, nescio an illud alicuius momenti sit, quod auctor cap. XVI cum de profectione Samnitium in Etruriam refert, Gellium Egnatium silentio praeterit, ille autem cui capita 18—21 § 10 attribuam, Gellium Egnatium diserte affirmat auctorem fuisse belli in Etruria conciti. —

[1]) Iterum hoc loco efficitur Livium cum diversitates scriptorum adnotaret, ea ipsa re commotum esse, ut alii auctori se addiceret. Conf. Clasonii hist. Rom. II. 33.

Priusquam haec capita perlustrem facere non possum, quin interrumpam disputationis ordinem et de uno disseram loco quo qua ratione Livius conscripserit annales optime illustratur. Legimus enim initio capitis XXI: »Magnum ea populatio Campani agri tumultum Romae praebuerat et per eos forte dies ex Etruria allatum erat, post deductum inde Volumnianum exercitum Etruriam concitam in arma et Gellium Egnatium Samnitium ducem et Umbros ad defectionem vocari et Gallos pretio ingenti sollicitari«. Quae verba si cum initio cap. XVIII comparaveris eaque in hunc locum non quadrare reputaveris, cum in sequentibus quamquam paragrapho altera cap. XVIII omnis ea multitudo sc. quattuor populorum ad castra Samnitium convenisse dicitur, usque ad cap. XXI § 1 ne verbo quidem Umbri Gallique commemorentur, non habebis quod mihi statuenti Livii errore qui tot fontium mole oppressus a justo rerum ordine digressus erat, hunc locum bis ex *eodem* fonte descriptum esse opponas [1]. — In capitibus autem quibus quae in Etruria auspiciis duorum consulum et in Samnio ductu Volumnii evenerint, describuntur iterum res effuse et large noster exponit, sed ne hic quidem in uno scriptore exscribendo acquievit, sed complures comparavit. Cum enim Volumnius ut Appio collegae auxilium ferret, fines Samnii egressus ad collegae exercitum venisset, inter consules quod Appius se collegam litteris accersisse negabat, contentio orta est. In trinis annalibus se invenire litteras ab Appio missas Livius dicit, sed num vere missae

[1]) Ut res melius perspiciatur, ambo exscribam locos:

cap. 18 § 1: Dum ea in Samnio cuiuscunque ductu auspicioque geruntur, Romanis interim bellum ingens multis ex gentibus *concitur cuius auctor Gellius Egnatius* ex Samnitibus erat. Tusci fere omnes consciverant bellum, *traxerat contagio proximos Umbriae populos* et *Gallica auxilia mercede sollicitabantur* omnis ea multitudo ect.

cap. 21 § 1. 2: Magnum ea populatio Campani agri tumultum Romae praebuerat et per eos forte dies ex Etruria allatum erat — post deductam inde Volumnianum exercitum — Etruriam *concitam* in arma *et Gellium Egnatium ducem* et *Umbros ad defectionem vocari* et *Gallos pretio ingenti sollicitari*.

Hac nostra sententia reprobatur J. Gronovii conjectura qui quod dure dictum esset: „Etruriam concitam in arma et Gellium Egnatium“; proposuerat: „. . . concitam in arma; et Gellium Egnatium et Umbros . . . vocar*e* et Gallos . . . sollicitar*e*“. Quae emendatio quamquam prima quidem specie magnopere mihi arridebat, tamen cum eadem eiusdem fontis verba loco utroque subesse intellexissem, etiam utroque loco constructionem passivam retinendam esse mihi persuasi.

sint, eam quaestionem non absolvit, cum ea ipsa inter consules populi Romani desceptatio fuerit. Ac ne nos quidem certi quidquam de hac re statuere possumus. Sed haec res est parvi ponderis, magis juvat ad pugnam ipsam transire. Quae pugna quin commissa sit, nemo sanus dubitabit, sed videbimus eadem ratione qua ceteras de quibus jam disputavimus exornatam esse. Ac primum quod auctor Livii clamore Romanorum hostes e castris excitos esse exponit, id quidem cum auctore quem rerum mirabilium studiosum fuisse novimus [1]), optime convenit, sed cum rebus ipsis pugnat. Tum cum Appius Volumniusque cum Samnitibus Tuscisque hostibus manus conseruissent, utriusque exercitus duces et milites inter se certant, ne ab altera parte prius victoria incipiat; quem pugnantium ardorem propterea tantum iterum tetigi, ut quantopere sibi constiterint annalium scriptores Romani ostendam. Atque in ea quoque re hoc caput cum quarto et quartodecimo comparationem habet, quod ne hic quidem ubi pugna commissa sit, auctor adscripsit. — Eadem fere in caput sequens valent, quod non mirum cum ipsius Livii testimonio sciamus quae sequuntur ex eodem sumpta esse scriptore. Nam Samnitibus Etruscisque devictis Volumnius in Samnium *re*disse dicitur, unde apparet Livium eum auctorem qui supra Volumnium tria castella in Samnio cepisse exposuerat [2]), retinuisse. Quocum scriptore totius narrationis color optime concinit, cum nec de locorum situ certius aliquid — nam nihil nisi ad Volturnum consedisse Volumnium refert Livius — comperiamus et in ceteris ita proelium describatur, ut de unaquaque re auctor optime instructus videatur; nam quid exploratores Oscae linguae periti Volumnio retulerint, quae fuerit cunctatio et perturbatio hostium accurate et dilucide exponit. Et ut victoria Romanorum quam maxime amplificetur, addit Livius memorandum facinus captivorum, qui vinculis soluti Staium Minacium ducem insidentem equo captum ad consulem Romanum rapiebant. Quae res quamquam fieri potest — nam et ipse Porus elephanto

[1]) Cum hoc nostro loco conferas IX. 41. 17: haec tanta sunt alacritate militum audita ut clamor sua sponte ortus loquentem interpellaverit ducem sqq. — Sequenti paragrapho auctor huius capitis dicit: mirabilia esse quae narret. — Non recte mihi judicasse videntur de clamoribus qui in pugnarum descriptionibus persaepe inveniuntur, Wölflinius — Antiochus v. Syracus u. Coelius Antipater ect. p. 47 — et Friedersdorfius — das 26. Buch des Livius p. 6 —.

[2]) cap. 18. § 8.

insidens capitur[1]) — tamen respectu indolis auctoris cui num fides habenda sit iterum iterumque dubitavimus magis eo inclinat sententia ut fictum esse hoc facinus credam. Superest ut unam rem breviter moneam. Postquam enim captivi Romani Staium Minacium ad consulem rapuerunt, revocantur eo tumultu prima Samnitium signa et pugna renovatur. Idem fit exeunte capite XIX: ibi interventu Gellii paulisper recruduit pugna. Quam rem ob eam maxime causam adnotavi, quod ea scriptores annalium ut quam longissimas exhiberent pugnarum descriptiones solitos esse complura inter se connectere proelia demonstratur[2]). — Jam supersedere possum uberius de primis sequentis (XXI) capitis paragraphis disputare, cum supra iam consensum inter hunc locum et initium capitis XVIII tantum esse ut diversos auctores eos locos conscripsisse conicere non liceat, sed potius Livii errore verba, de quibus agitur in capite XVIII scripta extare statuerim. Hoc demum loco recte dici possunt Umbri et Galli sollicitati in castra Samnitium convenisse et ipse Livius verbis: »post deductum inde Volumnianum exercitum« priorem errorem corrigere videtur. Quae deinde narrantur de terrore Romae orto, de justitio indicto, de dilectu omnis generis hominum habito, de consiliis urbis defendendae, ea magnam prae se ferunt similitudinem cum primis paragraphis capitis quarti.

Jam vero paragrapho undicima capitis XXI tertium belli Etrusci ingravescentis fit mentio et cum gentes, quae id conciebant eodem ordine[3]) recensitae sint quo supra, jure quodam conicias eundem hoc loco nostrum sequi fontem. Sed si diligentius totius narrationis tenorem et quae sequentibus capitibus continentur examinaveris non dubito quin hanc abiecturus sis sententiam. Nam quae inde a paragrapho undecima capitis XXI de bello Etrusco narrantur, ita interiore quodam

---

[1]) Arrian. V. 18.

[2]) Singula quaedam hic annectam. Legitur cap. 20 § 10: „Samnites praeda impediti infrequentis armati, pars addere gradum.“ Locutio „addere gradum“, *ter* quantum equidem video apud Livium invenitur: III. 27. 7. X. 20. 10. XXVI. 9. 5. Pluries et primum (III. 27) et tertium (XXVI. 9) locum laudavi. — Cum verbis „infrequentes armati“ — supra in § 8 ejusdem capdicit noster: infrequentia armatis signa — comparem: XL. 33. 6: „quod non uno agmine nec ad signa frequentes veniebant“ quem locum Ungerus, die röm. Quellen ect. p. 158 Antiati tribuit.

[3]) Hunc gentium ordinem haud parvi esse momenti infra cum de aliorum scriptorum testimoniis disputabo, apparebit.

nexu cum capite XXII cohaerent, ut divelli ab eo non possint: atque cum capite XXII tertium Fabius repudiet consulatum, quem maxime suadente Volumnio huic viro Romani sunt mandaturi, tum autem illum magistratum suscipiat et ad poscendum Decium collegam se vertat, porro cum Fabii oratio magnopere cum ea quam cap. XIII habet conspiret, conclusi inde a paragrapho undecima eo fonte Livium usum esse cuius auctorem cum de capitibus XIII et XV—XVII edissererem me reperisse arbitror. Accedit, quod haud verisimile videtur eundem auctorem, quae paulo antea narrata erant, paucis paragraphis post iterum legentibus proposuisse.

Iam vero quamquam multos viros mihi non assensuros haud ignoro, tamen quid ex eis quae variis locis disputavi sequatur exponere audeo. Cum de capite tertio decimo agerem, et e verbis »ut quaeque intro vocata erat centuria« colligi posse dicerem auctorem Livii non illud tempus quo exercitus »quasi stans in acie armatus«[1]) in suffragium discessit, respicere, laudavi caput XVIII libri quinti, quo eundem fontem Livium ante oculos habuisse suspicatus sum. Nam P. Licinius Calvus, ut supra jam breviter exposui, quem »praerogativa« non petentem tribunum militum creabat eodem fere modo quo tertio decimo capite nostri libri Fabius, priusquam tribuni renuntiarentur »jure vocatis tribubus«, orat, ne se aetate confectum tribunum reficerent, sed filio suo honorem mandarent. Sed viri docti quod illo P. Licinii tempore — anno u. c. 358 — non praerogativa, sed praerogativae in suffragium missae essent, nec aut sorte aut jure vocatae tribus inter se opponi possent, tum quod nondum ordine comitiorum centuriatorum commutato nec ratione inter tribus et centurias intercedente dici posset »vocatis tribubus«, hunc locum corruptum esse arbitatri sunt et alii aliter eum sanare studuerunt[2]). Fines huius dissertationis excederem, si de singulis emendationibus large disserere vellem, sed id moneo omnes qui hunc corrigere volebant, viros doctos in eo errare, quod annalium scriptores quos Livius in hac operis sui parte secutus est, historiam ita conscripsisse arbitrantur, ut juris publici satis periti ad hoc munus accederent. Retineo igitur locum

---

[1]) Liv. XXIV. 8. 18.

[2]) Conferas apparatum criticum Weissenbornii; praeterea Marquardtium: Handbuch d. röm. Altertümer II. 3. 4 a. 11. Langii compendium II² 465, Weissenbornii editionem maiorem⁴ ad. h. l., Soltavium: Ueber Entstehung und Zusammensetzung der altröm. Volksversammlungen. Berlin 1880 p. 363 a. 4.

qualem exhibent codices et colligo auctorem quo hic usus est Livius suae aetatis comitia centuriata in mente habuisse[1]. Sed hanc argumentationem ob eam tantum causam huic disputationi inserui ut viam mihi munirem ad emendandum locum persaepe laudatum: »eumque et praerogati*vae* et primo vocatae .... dicebant.« Jam cum commutatorum comitiorum rationem auctorem cap. XVIII libri V falso in annum 358 u. c. transtulisse nobis videamur evicisse, tum cum eundem autorem in utroque loco Livium secutum esse paene pro certo ponere possimus, dubito num hoc loco subito aliam de comitiis centuriatis sententiam professus de duodeviginti equitum centuriis cogitarit. Quibus de causis commotus sum, ut scribendum esse: »praerogati*va* et primo vocatae« putarem; quam lectionem nuper Backmundius[2] quamquam prorsus alia ratiocinatione usus est, commendavit. Non sum nescius omnes Livii codices exhibere praerogativa*e*, non praerogativa, sed facile fieri potuit, ut hic error dittographia litterae »e« — nam particula »et« sequitur —, oreretur[3].

Livius postquam magistratus anni insequentis enumeravit et consules praetoremque omnes absentes[4]) creatos esse addidit, de prodigiis eo anno nuntiatis et procuratis, de contentione inter patricias et plebeias matronas exorta propter quam a Volumnia ara pudicitiae plebeiae dedicabatur, refert. Haec omnia quoniam non habeo cur inde a capite XXIII alii fonti Livium se adstrinxisse dicam, Licinio tribuenda censeo. Ac ne de sequentibus quidem paragraphis quamquam cum antecedentibus coniunguntur verbis: »eodem anno«

---

[1]) Eandem sententiam Pluessius professus est in libello suo: Die Entwickelung der Centurienverfassung ect. Leipzig 1870 p. 12.

[2]) Blätter für bair. Gymnasialwesen X. 231. Ante eum jam Ritterus in: Museum des rheinischen Schulmännervereins 98—103. eandem lectionem commendaverat.

[3]) Alschefskyus in textum receperat: praerogativ*a*. Quamquam hac ratione solus locus quo opera data praerogativae nominantur, tollitur, tamen tantum abest, ut ob id de tempore quo in alium ordinem redacta sunt comitia centuriata, dubitem, ut potius totus eis qui post finitum bellum punicum primum mutatam eorum rationem esse arbitrantur, adstipuler. conf. Langii librum: Röm. Altertümer II[2] 465.

[4]) Mireris sane *omnes* absentes creatos dici quamquam Q. Fabium P. Decium consules Romae versatos esse ex antecedenti narratione apparet. Neque vero quidquam difficultatis hic locus habebit, si verba Dionysii IX. 42 jam supra laudata in memoriam revocaveris ....: *οὐδ' εἰς τὸ πεδίον ἐλθεῖν βουληθέντα ἕνεκα τῶν ἀρχαιρεσιῶν οὐδὲν ἧττον .... ἀπόντα ὕπατον.*

quibus ut supra in capite XIII vidimus, Livius interdum utitur, cum ad alium transit auctorem, ne singulis verbis nimium tribuere videar, certi aliquid ponam. Nec maioris momenti esse arbitror quod in paragrapho tertia decima nostri capitis adiectivum multaticius legitur, quam vocem Ungerus certo cuidam auctori vindicat[1]. Sed quoniam antea saepius largis pugnarum descriptionibus fidem abrogavi fortasse e re erit, breviter adnotare res hoc capite relatas incorruptae veritatis speciem prae se ferre et interdum tam breve et incomptum esse genus dicendi ut ipsos annales maximos te legere opineris.

Jam vero si quaestionum quae in capitibus 24—26. 12 existunt, nodum expedivero non frustra me ad hanc disputationom accessisse arbitrabor. Patet enim si haec capita diligenter perlustras non duos tantum in conscribendo libro decimo scriptores Livium adhibuisse, sed tres, praeterea autem alios inspexisse, quorum varias narrationes breviter adnotaret.

Iterum autem quo loco ipsius Livii verbis ansa verum inveniendi data est ab eo initium disputationis faciam.

Expositis quibus orationibus Fabius Deciusque inter se certaverint, quae Fabius solus in Etruria egerit Livius porro narrat eundem Fabium vere primo relicta secunda legione ad Clusium praepositoque castris L. Scipione pro praetore Romam ad consultandum de bello rediisse. Ac primum offendimur, quod *secundam* ad Clusium reliquisse legionem Fabius dicitur, nam ex antecedenti narratione apparet primam et quartam legionem cum Appio in Etruriam profectam esse; ad quas si quattuor milia peditum et sescentos equites, cum quibus secundum initium capitis XXV Fabius proficiscebatur addideris, tres dumtaxat legiones Romanae in Etruria erant. Tamen secunda sola commemoratur legio et quod Livius „castris“ praepositum esse Scipionem, non secundae legioni adicit, inde colligas alias duas legiones in castris, quibus Scipio praeerat, fuisse, quas hac dicendi ratione a secunda legione segregatas auctor voluerit. Sed falleris, si hanc sententiam probas. Capite enim XXVI inde a § 7. quo loco noster iterum se

---

1) Die röm. Quellen ect p. 37. — Nimis presse Weissenbornii — conf. adnotationem illius viri ad cap. 23 §. 13 — vestigia legit Ungerus cum contenderet, non nisi apud Livium hoc adiectivum legi. Invenitur praeterea apud Plinium XXXIII. 1. 19: „et cum ad id pecunia publica non decerneretur, ex *multaticia* (scil. pecunia) faeneratoribus condemnatis sqq.

vertit ad eundem auctorem — inde a § 12 cap. XXV usque ad § 7 capitis XXVI diversorum scriptorum narrationes referens interrumpit rerum quae in Etruria gerebantur ordinem — exponit Gallos castra Romanorum oppugnaturos ingenti multitudine ad Clusium venisse Scipionemque loco adjuvandam paucitatem suorum ratum in collem qui inter urbem et castra fuisset aciem erexisse, sed cum hostes illud jugum alia parte aggressi antea cepissent, *legionem* caesam ab tergo et in medio circumventam. Quo e loco sequitur auctorem huius narrationis de *una* tantum cogitasse legione et paragraphum undecimam prioris — 25. — capitis ita esse interpretandam, ut milites secundae legionis eique quibus in castris Scipio praeerat eidem fuisse consendi sint. Quid? num recte dicere potuit auctor pancitate suorum commotum Scipionem in collem aciem subduxisse si duas legiones et praeter eas quinque dumtaxat milia duxit? Huius igitur loci auctor — nam alios aliter narrasse subinde apparebit — nec de legionibus ab Appio relictis quidquam compertum habebat neque eosdem legionum numeros quos in capite XVIII Livius recenset, in narrandis rebus Etruscis attulerat, sed potius Fabii legionem secundam nominasse videtur. Deinde autem — paragr. 10 cap. 26 — addit Livius „quosdam" esse „auctores"[1]) tanta clade esse afflictam legionem, ut nuntius non superesset. Ac prima quidem specie judicare possis quae inde a paragrapho decima exposita sunt, ex alio scriptore desumpta esse, sed si verba: „ita caesa a tergo *legio* atque — circumventa" respicis facile tibi persuadebis quae insunt paragraphis 10. et 11. cum antecedentibus cohaerere et illos „quosdam auctores" paragraphi decimae non scriptori opponi, qui quae §§ 7—9 continentur conscripserat, sed eis auctoribus, qui ab Umbris, non a Gallis hanc cladem acceptam esse tradiderant. Jam superest, ut quaenam sit ratio inter hanc Livianae narrationis partem et eas paragraphos quibus Livius ipse testatur — inde a § 12 cap. 25 — § 6 cap. 26 — aliorum se reddere relationes, inquiram. Ac primum cum causas cur Fabius Romam reverterit, exponit, in diversum auctores trahere dicit utrum sua sponte redierit an senatus consulto accitus sit. Sed haec diversitas minoris momenti est. Tum autem inde a § 13 usque ad paragraphum quartam cap. 26 uberius disserit de tertia relatione, qua ab Appio Claudio, qui orationi-

1) Alii jam recte adnotaverunt veluti: Nissenius, Kritische Untersuchungen p. 47. Clasonius hist. Roman. II. 39 pluralem numerum ad unum scriptorem referendum esse.

bus terrorem belli Etrusci auxisset, Fabium retractum esse traditum erat atque ex argumento Appii orationis quod profert Livius mirus elucet consensus cum ea parte quam supra cum de capite XXI § 11—15 dissererem Licinio tribui. Nam cum auctorem quem in capite 25 § 1—11 et 26 § 9—11. Livius secutus est, de una tantum cogitare viderimus scil. de Fabii legione, hic diserte duas Appium legiones in Etruria reliquisse et minus quinque milia peditum equitumque cum Fabio venisse memoriae mandat, ut coniunxisse eum inter se narrationem cap. XXI § 11—15 et cap. XXV 1—11 dicere possis[1]). Atque quod Appius paragrapho 13 nostri capitis dicit non suffecturum ducem unum nec exercitum unum contra quattuor populos haec verba nos remittunt iterum ad caput XXI quo § 14 legitur: fuisse tantum bellum ut nec duce uno nec exercitu geri potuerit. Adde quod ex Decii verbis ut omnia integra Fabio servarentur et ex Fabii oratione quae legitur initio capitis 26 sequitur[2]) hunc auctorem contentionem, quae propter provinciam Fabio extra ordinem decretam exarsit, nosse non videri, sed potius *sorte* Fabio Etruriam obvenisse, Decio Samnium narrasse putandum esse. De Fabii oratione quae cum prioribus prorsus consentit non habeo, quod addam.

Quoniam igitur has duas — inde a capite XXIV—XXVI. 11 — narrationis partes distinxi, restat ut breviter disputem de paragraphis 5—7 capitis XXVI quas adhuc non respexi. Apud quosdam enim nulla sortis provinciarum certaminisque inter consules mentio facta erat et extemplo magistratu inito in Etruriam consules profecti narrabantur. Hi scriptores sine ullo dubio antiquiores erant, nescio an eidem quos Livius et in cap. 5 § 13 ante oculos habebat. Sed hac fontium diversitate adnotata non contentus tamquam ut huic incorrupto annalium generi alios mendaciis scriptorum obscuratos opponat quosdam esse dicit, quibus ne haec quidem certamina exponere satis fuerit. Cum enim auctor cui paragraphos 13—18 cap. 25 et 1—4 cap. 26 vindicavimus, Appium magnitudinem tantum belli Etrusci augentem et hac ratione Fabium ex Etruria retrahentem faciat, is quem hoc loco inspexit Livius criminationes Appii de Fabio absente

1) Idem ex capite 25. § 5—10 emanare videtur, sed progrediente narratione duas Appii legiones auctor omittit, et de una tantum cogitat.

2) Non omittam paragrapho prima cap. 26. Fabium dici *mediam* orationem ad populum habuisse. Idem Fabius cap. 15 § 10 *media* oratione studia hominum sedavit. Tribuimus supra eidem fonti capita 15—17 § 10.

ad populum et pertinaciam adversus praesentem consulem adiecerat, deinde cum supra Decius se *in Samnium vel* in Etruriam proficisci paratum esse declaret,[1]) hic auctor tendentem Decium ut suae quisque provinciae sortem tueatur, introducit. Quibus de causis inter eum auctorem quem Licinium esse enucleavimus et eum cuius narrationem § 6. capitis XXVI noster breviter adumbrat, necessitatem quandam intercedere opinor, sed ita ut hic illius narrationem secutus in maius singula augeret et amplificaret.[2]) Comparat igitur inter se Livius §§ 5. et 6. quantum equidem video antiquissimos et recentissimos auctores.

Jam paucis ad expeditionem Fabii quam cum quattuor dumtaxat milibus peditum et sescentis equitibus suscepit, revertar. Atque cum luce clarius sit quae inde a capite 25 § 1—11 et cap. 26 7—11 leguntur inter se cohaerere nec cum ceterorum relationibus congruere, deinde cum ipsius Livii testimonio constet, quosdam hanc Fabii expeditionem plane omisisse, fortasse licebit, eam expeditionem per se solam considerare. Livii fons igitur haec fere de ea memoriae prodidit: Q. Fabius cum quattuor milibus peditum et sescentis equitibus postquam in Etruriam profectus est, et itinera quanta fieri sinebat hiems hauddum exacta, ut animos mititum erigeret, fecit, Romam ad consultandum de bello rediit. Imperium autem illius legionis — nam numeros peditum equitumque quos exhibet Livius, ad legionem referendos esse, facile est cognitu — L. Scipioni defertur, qui cum Galli multitudine ingenti ad Clusium venirent, parum explorato itinere circumventus cum tota legione interficitur, ita ut nuntius non superesset. Qua in narratione certae quaedam res mihi inesse videbantur, quae comparationem haberent cum eis quas factas esse in illa celeberrima Fabiorum clade anni 277 u. c. scimus. Ac primum quod attinet ad numerum militum legimus apud Dionysium IX. 15: *Ἡγεῖτο δ' αὐτῶν Μάρκος Φάβιος ὁ τῷ παρελθόντι ὑπατεύσας ἔτει καὶ νικήσας τοὺς Τυῤῥηνοὺς τῇ μάχῃ τετρακισχιλίους μάλιστα ἐπαγόμενος*[3]) quocum

1) Hanc fontium diversitatem respiciens Livius cap. XXVI. 4 opera data adicit Decium se in Samnium vel in Etruriam proficisci paratum esse declarasse. Haec est causa cur totus improbem emendationem Madwigii — emendat. Livian[2] p. 231 — qui verba „in Samnium vel" delenda censet.

2) Fortasse haud nimis a veritate aberres si hunc scriptorem Aelium Tuberonem fuisse suspiceris, quoniam cap. 9 § 10 hujus libri Licinius et Aelius Tubero inter se coniuncti afferuntur.

3) Praeterea conf. Festum p. 335 M. s. v. seclerata porta: cum clientium milibus quinque.

loco conferas Liv. X. 25. 1: quattuor milia peditum et sescentos equites *dumtaxat* scribere in animo est. Attamen non Fabiorum tantum nomine aut eisdem militum numeris commotus sum, ut hanc comparationem instituerem, sed potius eo quod auctor capitis XXV non de exercitu justo dilectu coacto, sed de *voluntariis* cogitare videtur[1]). Jam quamquam progrediente narratione Fabius Etruriam relinquit Scipionemque legioni praeponit, ut fere hanc meam sententiam non satis aptam esse arbitreris, tamen is qui finxit Fabii profectionem cum voluntariis factam praecipue magna clade, quam re vera praesidium quoddam eo anno in Etruria accepit, adductus esse putandus est, ut Fabii Maximi nomen mira ratione cum hoc praesidii interitu coniungeret. Quae mea sententia eo corrobaratur quod Dionysius quo loco de Fabiorum interitu alteram cui maiorem fidem habet,[2]) profert narrationem, similes exponit res. An forte accidisse putas, ut Dionysius postquam qui Romanorum collem occupassent ab Etruscis interfectos exposuit sic pergat: *διαφθείραντες δὲ τοὺς ἄνδρας ἔθεον ἐπὶ τὸ φρούριον ἔχοντες τὰς τῶν ἐπιφανειτάτων κεφαλάς, ὡς ἐξ ἐφόδου τοὺς ἐκεῖ παραληψόμενοι*, quocum loco conferas Liv. X. 26 § 11. Tum quo loco Dionysius Titi Menenii cladem prodit et sine dubio eundem auctorem ante oculos habuit, haec exhibet: *καὶ αὐτίκα τοὺς ἱππεῖς ἀναλαβόντες κατὰ τὴν ἑτέραν πλευρὰν τοῦ λόφου οὐδενὸς κωλύοντος, ἀνέβησαν ἐπὶ τὴν κορυφήν*, quae verba ad hunc Livii locum proxime accedunt: „sed ut in re subita parum explorato itinere *ad jugum* perrexit *quod hostes ceperant parte alia aggressi*" cap. 26. 9. Nullus igitur dubito, quin recentior auctor cum hanc legionis Romanae cladem perscripturus esset et quod Fabius eo anno consul fuisset, et quod praesidium quoddam eo anno ad internecionem redactum esset, profectionem solius Fabii cum voluntariis

1) De significatione locutionis „nomen dare" conferas Marquardtii librum: Römische Staatsverwaltung II. 371 a. 3.: „nomen dare heisst im eigentlichen Sinne freiwillig sich melden". Alia significatione allata pergit vir doctissimus: In der ersteren Bedeutung Liv. III. 57. X. 25. Langius in compendio suo — Altertümer I[3] 526 — eos qui nomina dederunt voluntarios extra ordinem vocat. — Cum verbis Fabii Maximi: „Hodierno et crastino die, qui nomina dederitis" conferri possunt quae apud Livium II. 48. 10 leguntur: „jussi armati postero die ad limen consulis adesse", qui et ipsi voluntarii sunt, quia privato sumptu expeditionem susceperunt.

2) Quo jure hoc faciat Dionysius, id diiudicare non est nostrum. Conf Mommseni librum: Röm. Forschungen II. p. 255 a. 42.

finxerit, et cladem ad exemplar ejus quam ad Cremeram fluvium acceperunt Romani, descripserit.

Jam vero ad rerum cursum disputationem reflectamus. Alii enim scriptores non tantam illam cladem fuisse neque a Gallis sed ab Umbris acceptam esse referebant. Quamquam huic narrationi non assentitur Livius — nam verisimilius a Gallis quam ab Umbris hanc cladem acceptam esse dicit — tamen eundem quem refutare conatur retinuisse Livium mihi persuasi primum quod in sequenti libri decimi parte Scipio quem interfectum esse si priorem relationem sequaris exspectes, multas et egregias res gerit, tum quod Umbri redintegrato a Scipione proelio victi abscessisse dicuntur. Umbri enim qui in castris hostium fuisse narrantur,[1]) pugnae ipsi non intersunt nec cur absint comperimus[2]); qua de causa auctorem qui res capitum sequentium narrat, prodidisse Umbrorum profectionem clade ad Clusium accepta effectam esse contendo. Nec velim eo offendaris quod post eam cladem narratam Umbri capite XXVII § 2 denuo commemorantur, nam facile est cognitu Livium rerum nexum interiectis paragraphis 13—15 cap. 26 et 1—2 cap. 27 obscurasse quippe quibus paragraphis res quae ante cladem Romanam factae erant, describantur. Cum enim capitibus 24 et 25 consulum certamen et Fabii profectio justo fusius noster exposuerit, his demum paragraphis afferuntur, quae in aliis Livii annalium partibus ineunte anno leguntur, unde factum est, ut legentes non satis clare, quaenam fuerit Etruscis causa abeundi perspicere possint. Itaque ni totus fallor, auctor quem inde a § 12 cap. 26 adhibuit Livius hanc Umbrorum cladem fere eodem rettulerat loco quo Etruscos ad suos fines tuendos abiisse dicit. Quam meam sententiam si probas, optime congruit fons Livii — scilicet quod attinet ad tempus illius proelii — cum Polybio qui id paucis diebus ante pugnam Sentinatem commissum esse dicit: quantopere autem in ceteris a veritate discesserit Livii auctor, in eam rem tum diligentius inquiram, cum de Polybio edisseram.

Jam ut ad pugnam Sentinatem ipsam, cuius descriptio incipit inde a capite 27 § 11, perveniam breviter quae de reliqua capitis septimi vicesimi parte disputanda sunt, absolvam: consilia hostium a transfugis enuntiata, levia ante pugnam ipsam proelia, omen quo dei se adesse Romanis indicant, illa quidem certum auctorem non

1) Conf. cap. 18, 2. 21, 2. 21, 11. 27, 2. 27, 11.
2) Conf. Ihnii hist. Roman. I. 396 a. 35: Warum aber zogen die Umbrer ab?

produnt, sed cum iterum iterumque talia in Livii annalibus legantur, jure contendere possumus etiam hoc caput flosculis rhetoricis esse exornatum. Deinde cum supra — cap. 26 § 14 — id tantum legamus quattuor legiones cum magno equitatu in Etruriam profectas esse, cap. 27 § 11 numeri earum afferuntur, unde quoniam cap. XVIII § 4 primam et quartam in Etruriam, secundam ac tertiam in Samnium ivisse invenimus, efficitur quotannis jam tum legionum numeros mutatos esse. Sed illud quoque ex hoc loco concludere possumus fonte, quem capite 25 inde a paragrapho tertia decima excerpsit in sequentibus eum non usum esse, propterea quod ejus auctor duas legiones in Etruria relictas esse opera data adicit. Sed maioris momenti sunt quae inde a paragrapho undecima sequuntur. Tota enim pugnae Sentinatis descriptio ita cum ea quam Livius capitibus 8—10 libri octavi exhibet conspirat, ut aut totus fallar aut his duobus locis eundem Livius ante oculos habuerit scriptorem. Jam singula quae mihi occurrebant, apponam:

In utraque pugna Decius sinistro cornu praeest:

VIII. 9. 2: Manlius dextro, Decius laevo cornu praeerat.

X. 27. 10: adversus Samnites Q. Fabius primam ac tertiam legionem pro dextro cornu, adversus Gallos pro sinistro Decius.

Tum aequis viribus geritur res:

VIII. 9. 3: primo utrimque aequis viribus eodem ardore animorum gerebatur res.

X. 27. 11: primo concursu aequis viribus gesta res est.

Nec minus quae sequuntur inter se congruunt: Postquam P. Decius pater vidit Romanos impetum Latinorum non sustinere gradumque referre, M. Valerio pontifice vocato et precatione sollemni recitata in mediam hostium aciem irruit. Tum pergit Livius: »conspectus ab utraque acie aliquanto angustior humano[1]) visus«. Et ipse Decius filius ubi frustra cedentes revocavit, eadem precatione qua pater devotus in medios hostes concitat equum et occiditur. Quae sequuntur verba: »vix humanae inde opis videri pugna potuit« quamquam non ad verbum cum supra laudatis conspirant, tamen

[1]) Jure Hertzius in editione sua (Lips. 1857) codices secutus exhibet: angustior humano visus. Weissenbornius in textum intrusit „*habitu*“. Velim virum doctissimum respexisse versum Ovidii fast. II. 503: „humano maior“.

eodem sensu dicta esse apparet. Neque enim aliud quidquam dicere vult auctor quam deos ipsos Romanis devotione peracta opem tulisse. Similis intercedit ratio in sequentibus:

VIII. 9. 12: ubi vero corruit obrutus telis, inde jam haud dubie consternatae cohortes Latinorum.

X. 29. 2: Galli et maxime globus circumstans consulis corpus velut alienata mente vana incassum jactare tela.

Sed absolvitur res meo quidem judicio, si haec inter se comparas:

VIII. 10. 10: consulis corpus ne eo die inveniretur, nox quaerentes oppressit, postero die inventum inter maximam hostium stragem, coopertum telis, funusque ei par morte celebranti collega factum est.

X. 29. 19: consulis corpus eo die quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inveniri non potuit. Postero die inventum . . . Fabius collegae funus omni honore laudibus meritis celebrat [1]).

Quem autem hac nostra disputatione statuimus consensum, idem etiam in aliis rebus elucet. Jam Clasonius [2]) in fontes belli Latini inquirens in locum Decii qui se in pugna ad Veserim devoverat quamquam ineunte magistratu interfectus esse videretur, novum consulem suffectum non esse breviter exposuit. Qui vir doctissimus quamquam prorsus idem valet in P. Decium filium nostrum librum ut rem magis explanaret, non laudavit. Pugna enim Sentinati narrata multa alia quae et in Etruria et in Samnio gesta sint, commemorantur, attamen consulis suffecti non fit mentio. Sed accedit aliud. P. Decio Mure filio in mediis hostibus interfecto nostro libro veluti nova incipit pugna, nam Fabius in dextro cornu »cunctando

---

[1]) De hac re mihi disserenti alius Livii locus in mentem venit. Legitur Liv. XXII. 7. 5: Flaminii quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum non invenit (scil. Hannibal). Polybius de hac re nihil tradit III. 85. 5: *καὶ τῶν νεκρῶν τῶν ἐκ τῆς σφετέρας δυνάμεως τοὺς ἐπιφανεστάτους ἔθαψεν.* Quod Weissenbornius adh. l. adnotat: „Dem Verächter der Götter wurde die letzte Ehre nicht zu teil", non recte mihi de hoc loco judicasse videtur. Ut Deciorum corpora qui fortiter pugnantes in mediis hostibus interfecti erant, non extemplo inveniebantur, ita ne Flaminii quidem corpus, qui strenue militis opera exsecutus quacunque in parte premi ac laborare senserat suos, ferebat opem, inventum.

[2]) Clason.: hist. Rom. II. 5. 240.

extraxerat diem« [1]) dein cum proelio defatigati hostes Samnites essent, cedentes eos in castra compulit. His autem fugatis Gallicam aciem — nam Galli testudine facta conferti stabant, quamquam antecedentes paragraphos respiciens eorum cuneum perturbatum esse arbitreris [2]) — quingentos equites a tergo invadere et tertiam legionem a fronte aggredi jussit. Conicies igitur eandem hoc loco esse condicionem, quam Clasonius [3]) eumque secutus Zöllerus [3]) in pugna ad Veserim commissa sibi repperisse visi sunt. Hi enim viri doctissimi ita a scriptore quodam illam pugnam conscriptam esse arbitrati sunt, ut is duas diversas inter se coniungeret relationes; quem Clasonius Nitzschio se addicens Licinium fuisse coniecit. Sed ut auctorem quem subesse cogitavit Clasonius, respuo, ita probare non possum eiusdem sententiam qui a scriptoribus demum qui Sullae aetate floruerunt, T. Manlii Torquati res gestas et P. Decii patris devotionem inter se coniunctas esse statuit. Neque enim dubitari potest, quin jam antiquiores has duas res contaminaverint ut ea existeret descriptio, quam hodie legimus. Ceterum hi viri non satis secum reputasse videntur scriptores Romanos ut quam lucutentissime proelia describerent, quomodo in unaquaque aciei parte pugnatum esset, diligenter exposuisse, unde factum est, ut descriptio ex diversis partibus constare videretur. —

Jam superest, ut panca, qua ratione pugna in annalibus descripta sit addam. Nec si largam illam pugnae descriptionem quam annalium scriptorum commentis nos debere jam recte Ihnius [4]) vidit, animo considerabis, dubitatio existere poterit, quin haec capita ex eodem desumpta sint, quem inde a capite 21 § 11 seposuit.

---

[1]) Nescio an animo scriptoris huius loci obversatus sit versus ille celeberrimus Ennii: „Unus homo nobis cunctando restituit rem"; id quod et in alium Livii locum quo Fabiorum expeditio narratur, quadrare videtur: II. 43; Unus ille vir rem publicam sustinuit (scil. Q. Fabius).

[2]) Legimus enim § 7 cap. 29: quibus plerisque in scuta, raris in corpora ipsa fixis *sternitur* cuneus, ita ut magna pars integris corporibus attoniti conciderent. — Similiter res exponitur: VII. 23. 9 et XXXVIII. 22. 9 quibus duobus locis agitur de *Gallis*.

[3]) Hist. Roman. II. 5: Livius hat also eigentlich zwei gesonderte Schlachtbeschreibungen. — M. Zöller: Latium u. Rom. Leipzig 1878. p. 364. 365. 369.

[4]) Historia Roman. I. 396: „Eine Beschreibung der Schlacht, wie sie Livius giebt, ist nur ein Spiel der Phantasie."

Nam ut res hac sententia probata optime inter se cohaerent, ita et narratio ipsa ut eundem statuamus auctorem monet: equites lymphatico pavore dissipati et ita pulsi ut suorum signa turbent, hostes a tergo circumventi et caesi, aedes deo alicui vota, pugna sub ipso castrorum vallo quia tantam multitudinem portae non recepere, temptata: ea omnia ita sunt comparata, ut optime ad auctorem capitum 3—12, 14, 18—21 § 11 nostri libri quadrent. Narratis quae res a Cn. Fulvio propraetore in Etruria gestae sint, adicit Livius, quot[1]) pedites equitesque aliorum scriptorum testimoniis in

---

[1]) In codicibus haec leguntur: „Sed superiecere quidam augendo fidem qui in hostium exercitu peditum XI (sic Parisinus; X Medicaeus) CCCXXX, equitum VI & XL milia, mille carpentorum scripsere fuisse.“ Jam Niebuhrius (hist. Rom. III.[3] 451) ut ratio quaedam esset inter hostium occisorum numerum quem affert Duris apud Diodorum XXI. 6 et eorum multitudinem, qui secundum testimonium scriptorum a Livio laudatorum pugnae aderant, — nam codicum numeros non satis magnos esse recte statuit — hunc locum ita sanare voluit, ut pro I litera codicis Parisini scriberet L et hanc ita transponeret, ut numerus XCCCLXXX existeret, quem auctoritate vetustissimorum codicum significare deciens centena milia vir illustrissimus contendit; quam coniecturam Weissenbornius in textum recepit. Sed Niebuhrium ipsum in sanando hoc loco modum excessisse jam alii docuerunt, imprimis U. Köhlerus in commentatione praemio exornata: Qua ratione Titi Livii annalibus usi sint scriptores Latini atque Graeci. Göttingae 1860 p. 97, qui de nostro loco optime est meritus. Primus enim cum Livio numeros quos Orosius III. 21 exhibet comparavit et praecipue respiciens equitum carpentorumque numeros — parvi enim momenti esse, quod Orosius de XLVII (non ut ait Köhlerus de XLIV), milibus equitum narret, Köhlerus recte monuit — ex hoc Orosii loco verum *peditum* numerum cognosci posse judicavit, sed idem caute, ut par est, in fine disputationis suae haec adicit: de ea re tum demum certi aliquid constitui poterit, ubi quid in bonis Orosii codicibus scriptum sit, edocti erimus. Atqui nuperrime a C. Zangemeistero egregia Orosii editio comparata est atque ex eius copiis cognosci potest antiquissimum codicem Laurentianum saeculi VI haec exhibuisse:

Gallorum et Samnitium peditum CXL milia trecenta triginta, equitum vero XLUII milia; quocum conferas Livii codices:

cod. *Parisinus* saec. dec.: peditum XICCCXXX, equitum sex & XL milia, mille carpentorum.

cod. *Medicaeus* saec. undec.: peditum XCCCXXX, equitum VI & XL milia, mille carpentorum.

Orosium Livium ipsum non inspexisse, etiamsi eum nostro loco laudat, infra demonstrabitur. attamen quin numeri ab alio quodam ex Livio desumpti sint, dubitari nequit praesertim cum praeter equitum carpentorumque numerum etiam peditum centenarius et denarius numerus cum Livio consentiat. Jam

exercitu hostium fuerint, et eosdem auctores qui augendo fidem superiecerint, Umbros Tuscosque pugnae adfuisse, et ut Romanorum quoque augerent copias Volumnium non in Samnio, sed una cum consulibus contra quattuor illos populos gessisse rem memoriae prodidisse dicit. Quo testimonio efficitur illos scriptores rerum ordinem nexumque prorsus aliter exhibuisse, praecipue autem strategema illud, quo Etrusci ex agro Sentinati, in fines suos retraherentur clademque Umbrorum omisisse. Atqui et ipsum Duridem Samium aequalem fere pugnae Sentinatis scimus quattuor populos illi clarissimae pugnae interfuisse narrasse. Legimus enim in frustulo Diodoriano[1]). *Ὅτι ἐπὶ τοῦ πολέμου τῶν Τυῤῥηνῶν καὶ Γαλατῶν καὶ Σαμνιτῶν καὶ τῶν ἑτέρων συμμάχων ἀνῃρέθησαν ὑπὸ Ῥωμαίων Φαβίου ὑπατεύοντος δέκα μυριάδες ὥς φησι Δοῦρις*, qui locus me movit, ut scriptores quosdam Romanos ex Duride, quippe cui ut antiquissimo harum rerum auctori summam tribuerent fidem, sua hausisse arbitrarer. Attamen aetatem magis quam fidem illi scriptores Romani aestimasse putandi sunt. Polybius enim, quem jam supra laudavi haec de numero populorum qui cum Romanis dimicabant, memoriae mandat: *μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἔτει τετάρτῳ συμφρονήσαντες ἅμα Σαυνῖται καὶ Γαλάται παρετάξαντο Ῥωμαίοις ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ.* Is igitur quem Fabium in his rebus exponendis adhibuisse certum est, duas tantum gentes cum Romanis manus conseruisse narrat nec habemus cur Fabio scriptori Romano fide dignissimo fidem abrogemus. Unde sequitur fontem quem primarium habuit Livius — cap. 26 § 13—30 § 3 — ita relationem Graecam et Romanam contaminare conatum esse, ut in castris quidem

---

existit quaestio, qui fieri potuerit ut in codice antiquissimo Orosii ante numerum subtiliter exactum CCCXXX scriberentur literae CXL, cum in Livii optimis libris legatur: XI vel X. Jam melius rem perspiciemus, si Niebuhrii sententiae adstipulabimur, qui codicis Clokiani Palatini scriptura commotus literas XI, quas et ipsum Parisinum exhibere vidimus, in XL mutavit. Qua scriptura probata similitudo quaedam intercedit inter Orosii lectionem CXL et optimos Livii libros XL. Atqui cum VI et *XL* milia equitum pugnae adfuisse dicantur, facillime fieri potuit, ut in antiquissimis Livii exemplaribus librarii errore qui verbo „peditum“ scripto ad equitum numerum aberrabat, numero CCCXXX praescriberentur litterae XL. C autem litera quae apud Orosium extat, nescio an mendo librarii cuiusdam Orosii tribuenda sit. Propterea sequor Hertzii scripturam: milia trecenta triginta sqq.

[1]) Diodor XXI. 6.

hostium fuisse diceret Etruscos Umbrosque, sed non in ipsa pugna. Hunc igitur auctorem qui Volumnium in Samnio bellum gerentem faciebat, cum Livius sequeretur, proelium ad Tifernum commissum ei narrandum erat, quod ex hoc anno scriptores Romanos in alium quo iidem consules creati erant, transtulisse supra probare studui. —

Quae in sequentibus paragraphis 8—10 de Fabii triumpho exponuntur, in iis difficultates insunt, quae non nisi errore Livii ortae esse possunt. Dicit enim Fabium exercitu Deciano in Etruria relicto, de Gallis Etruscisque et Samnitibus triumphasse[1]) quamquam sequenti demum capite de Fabii victoria ab Etruscis reportata aliquid comperimus. Accedit quod cum paragrapho octava cap. 30 exercitus Decianus in Etruria relictus esse dicatur, capite XXXI Appius Claudius praetor cum exercitu Deciano adversus Samnites mittitur. Has difficultates hac ratione solvi posse arbitror: Livius cum diversorum auctorum recenseret relationes, victoriae a Gallis Samnitibusque reportatae adnexuit triumphum, quem si justum rerum ordinem servare voluisset, Etruscis demum devictis in fine anni narrare scriptorem oportuit.

Quae mea sententia ea quoque re fulcitur quod triumphi plerumque exeunte anno agebantur[2]) et cum annus magistratuum eo tempore autumno vel hieme incunte initium caperet[3]), Fabius paulo ante consulatum finitum triumphum egisse censendus est. Quae tum de pugna in agro Stellati commissa narrantur, ea scriptores annalium magnopere auxisse et in numeris afferendis modum excessisse in propatulo est. Quis enim credat post tantas clades quas ad Sentinum et Tifernum Samnites acceperant, tot superfuisse Samnitium, ut sedecim milia uno proelio occidi possent? Neque vero numeros solum auctor hujus loci in maius tollebat[4]), sed etiam ita res ipsas exponebat, ut legentibus falsam rerum speciem praeberet. Nam

---

[1]) Fasti triumphales ad annum 459 u. c.: de Samnitibus et Etrusceis Galleis prid. non. Sept.

[2]) Conf. Mommseni librum: Römische Chronologie² p. 84 et 85.

[3]) Conf. Ungeri commentationem: die röm. Stadtaera p. 84 et 85.

[4]) Jure tuo mireris quod scriptor eundem (2700) et captorum hostium et occisorum Romanorum numerum affert. Sed quem hic exscripsit Livius auctorem et in sequentibus retinuit, eum in inveniendis novis diversisque numeris parcum fuisse subinde apparebit.

quod ab ultima spe dimicasse dicit Samnites[1]), id minime cum rebus quae in sequentibus de Romanorum cladibus exponuntur, convenit. Valet igitur in hunc auctorem idem quod Ungerus[2]) vir d. de capite 17 libri XLI disserens uberius explicavit: semper illum eam praeferre narrationem, quae Romanis quamquam cum rebus ipsis non consentiat, plurimum afferat gloriae.

Adicit autem Livius paragrapho octava hujus cap. tricesimi primi (31, 8) felicem annum bellicis rebus pestilentia gravem prodigiisque sollicitum fuisse; nam et terram multifariam pluvisse et in exercitu Appii Claudii plerosque fulminibus ictos esse. Jam si tecum reputabis in prima decade inde ab anno 244 u. c. usque ad finem libri noni *septies*[3]) tantum prodigia adnotata esse, cum in hoc decimo libro ad annos 458. 459 u. c. prodigia adscribantur[4]), tum si considerabis apud Orosium qui quamquam Livium ipsum non exscripsit ut infra demonstrabitur, tamen scriptorem e Livio pendentem adhibuisse putandus est, ad annos 478 et 480 u. c. prodigia accurate atque copiose adferri nescio an non assensurus sis Mommseno[5]) et Bernaysio[6]) qui inde ab anno demum 505 u. c. singulis annis prodigia annotata esse contenderunt; quae autem ante illum annum inveniantur in prima decade et in Livii epitomatoribus, ea esse conficta vel ut Mommseni afferam verba, casu potius quam publica cura tradita. Atque quamquam multum abest, ut quae prodigia in primis libris inveniuntur, ea omnia a pontificibus esse memoriae mandata con-

---

[1]) Cum hoc nostro loco conferas: III. 2 § 11: proelium fuit utrimque vehemens quod et Romanus *ira* odioque pugnabat et Aequos *conscientia* contracti culpa periculi et *desperatio futurae* sibi postea *fidei ultima audere* et experiri cogebat. III. 69. 9: tertio die cum *ira* Romanos, illos, *cum totiens rebellassent*, *conscientia* culpae ac *desperatio* invitaret. — VII. 37. 4: certamine *ultimo* fortunam experiri statuit. — IX. 31. 12: ultimam spem furto insidiarum temptantem.

[2]) Ueber die röm. Quellen ect. p. 16 et 176.

[3]) II. 42. III. 5. III. 10. III. 29. IV. 21. V. 15. VII. 28.

[4]) Jure quodam adicias annum 461 u. c. nam quamquam prodigia ipsa non commemorantur, tamen de pestilentia portento simili Livius refert.

[5]) Conf.: Livii periochae ed. Jahn. praefatio p. XX, ubi impressa est epistola Mommseni ad Jahnium; Röm. Chronologie² p. 180 et adn. 350.

[6]) Rhein. Mus. XII. 436. — Contra Mommsenum et Bernaysium disseruit Nitzschius in libro suo: Die röm. Analistik p. 238. — Assentitur Mommseno Bernaysio aliis F. Luterbacherus in commentatione: Der Prodigienglaube u. Prodigienstil der Römer. Burgdorf 1880 p. 7.

tendam, tamen multum interest inter ea vetustorum temporum prodigia et ea quae in nostro libro scilicet ea aetate qua clarior historiae lux fulget referuntur. Haesito igitur, num titulo libri Julii Obsequentis tantum tribuam ut propter illum inde ab anno 505 u. c. demum prodigia publica cura conscripta esse censeam ac quod Julius Obsequens inde ab anno 505 u. c. initium conscribendi prodigia fecit, id fortasse propterea tantum factum est, quod eo anno teste Censorino [1]) novum saeculum coepit [2]). — Jam vero inde a capite 32 minus impedita difficilisque tota nostra disputatio erit, quoniam et nos in antecedentibus viam nobis munivimus et Livius ipse in fine anni ad quem accessi ita de auctorum narrationibus edisserit, ut nomen ipsum auctoris primarii Livii statuere possim; sed fortasse e re erit antea nonnulla de narratione ipsa qualis sit praemittere. Haec autem ita comparata est, ut multis partibus cum antecedenti comparationem habeat. De omnibus enim rebus atque adeo de minutissimis optime se esse instructum simulat auctor, — quod eo magis mireris, si quantum inter se dissenserint scriptores, videbis —: veluti de horis quibus sit pugnatum 34 § 2, de pugnis quomodo processerint, de imperatorum orationibus, de numeris occisorum et captorum atque ut quod supra jam breviter adnotavi hoc loco uberius explanem, illi numeri ita sibi constant, ut haud sollertem in excogitandis et inveniendis numeris eum auctorem fuisse jure dicere possis. Paragraphis enim 14 et 15 capitis 36 recensens quot et Samnites et Romani amiserint milites hos exhibet Livius numeros: capti sunt Samnitium **7800**, caesi **4800**, Romani amiserunt **7800**, deinde cum Postumius in Etruria rem gereret — cap. 37 § 2 — duo milia *octingenti* Etruscorum caeduntur. Neque minus in sequentibus capitibus — inde a capite 39 usque ad finem libri decimi — quibus eundem noster retinuit fontem — id quod subinde demonstrabitur — octonarius numerus profertur: cap. 39 § 3: caesa ibi milia hominum duo ferme atque *octingenti;* cap. 42 § 5: capta tria milia *octingenti* et septuaginta; cap. 43 § 8: caesa ad quattuor milia *octingenti octoginta;* cap. 43 § 14: ducenti

---

[1]) Censorin. de die nat. I. 17.

[2]) Conf. de hac re Niebuhr. hist. Roman I.⁵ p. 277. 278. Quamquam me non praeterit hanc difficilem quaestionem eis quae disputavi non absolutam esse, tamen hoc loco sententiam meam, quam alibi magis explanabo professus sum.

ferme et *octoginta* interfecti; cap. 43 § 15: signa militaria *duodeviginti* reliquere [1]).

Quod autem judicium universam Livii narrationem spectans tuli, id si sermonem capitum 32—37 cum aliis huius libri locis comparabo, corroborabitur. Ne longior sim eos tantum afferam locos qui rem mihi absolvere videntur:

Cap. 33 § 8: »quarum rerum fama tumultuosior etiam quam res erant, perlata Romam« conferatur cum cap. 4 § 1 nostri libri.

Cap. 36. §. 5: »turbatus eques sua ipse subsidia territis equis proculcavit« conf. cum cap. 28 §. 11 n. l.

Cap. 36 §. 10: »alii alios hortari ut repeterent pugnam, rapta signa inferre et ostendere suis« conf. cum cap. 5 § 3. n. l.

Cap. 36 § 11: »inter haec consul manus ad caelum attollens voce clara, ita ut exaudiretur« sqq. conf. c. 19 § 17 n. l.

Cap. 36 § 12 »numen etiam deorum respexisse nomen Romanum visum« conf. c. cap. 5 § 11 n. l.

Cap. 36. § 17: »ipsi longo atque impedito agmine incompositi caeduntur« conf. c. cap. 20. § 10 n. l.: »Samnites praeda impediti, infrequentes« sqq. Praeterea conferas cum nostro loco lib. XXXV. 1: nam et acie frequenti armatis adversus *longum* et *impeditum* turba plenum agmen sqq. [2]).

His igitur satis mihi demonstrasse videor narrationis colorem nos ad eum relegare auctorem, cujus vestigia per totum paene librum indagavi. Nunc autem nomen illius scriptoris certius definire e re erit. — Dicit enim noster paragrapho 13 capitis 37 narrationem quam de anno 461 n. c. prodiderit nec cum Claudio nec cum Fabio satis congruere atque cum si ipsius Livii verbis fides habenda est, Livius in conscribenda prima decade omnino septem inspexerit auctores: Fabium Pictorem, Cincium, L. Calpurnium Pisonem, Valerium Antia-

---

[1]) Non sum nescius nonnullos horum numerorum a recentioribus esse restitutos, sed ita mihi librariorum menda sanasse videntur, ut nolim Hertzium solum scripsisse §§ 14 et 15 cap. 36 „septem milium ac ducentorum". Viam inveniendi veram et incorruptam scripturam et hic praemonstravit Drakenbarchius ad X. 33 et 36. — Ceterum auctorem huius loci, cuius nomen infra definietur, et alios numeros in deliciis habuisse docuit Kiesslingius in dissertatione sua quae inscribitur: De Dionysii Halicarnassei antiquitat. auct. lat. Lips. 1859 p. 22 adn.

[2]) Hunc locum Antiati tribuit Ungerus: Die röm. Quellen ect. p. 85.

tem, Licinium Macrum, Claudium, Aelium Tuberonem, si Fabium[1]) Claudiumque quos hic non sequitur Livius ex hoc numero segregamus, restant quinque illi: Cincius, Piso, Valerius, Macer, Tubero. Atqui non praeoccupatus animo videbor si et ipsum Pisonem Tuberonemque Livium secutum esse negabo, quorum alter tam breves conscripserat annales ut in tertio libro de aetate belli Samnitici secundi ageret,[2]) alterius autem quantum equidem scio perpauca apud Livium extant vestigia. De Cincio autem Alimento cogitare non licet, quoniam is Cincius qui in septimo libro[3]) laudatur, non historicus sed grammaticus fuisse videtur.[4]) Exoritur igitur quaestio utrum Antiatem an Licinium noster adhibuerit, quae facile nunc solvi potest, quoniam auctorem primarium qui propter sermonis proprietatem in his capitibus adhibitus esse putandus est, Licinium *non* esse demonstravimus.[5])

Jam iterum diserto Livii testimonio unde postrema huius decimi libri pars desumpta sit diiudicare possumus. Novimus enim e paragrapho 13 capitis 37 Claudium scriptorem ita res exposuisse, ut M. Aemilium consulem in Etruria res gessisse diceret, Fabium autem uter consul in Etruriam profectus esset, non adiecisse. Cum vero Livius cap. 39 § 2 Spurium Carvilium cum veteribus legionibus „quas M. Atilius superioris anni consul in agro Interamnati reliquerat“, in

---

[1]) Num ipsum Fabium inspexerit noster adhuc sub indice esse non ignoro. Tamen equidem assentior Nisseni sententiae quam professus est in museo Rhenano XXVI. p. 528. — Fabium uter consul in Etruriam cum exercitu profectus esset, non adiecisse dicit Livius. Quo Livii testimonio efficitur non solum Catonem sine ducum nominibus res notasse, sed etiam alios vetustiores auctores. Conf. praeter alios E. Meyeri commentationen in mus. Rhen. XXXVII. p. 613, qui hunc locum non laudavit.

[2]) Conf. Peteri relliqu. hist. Rom. I. p. 136. fr. 27 Pisonis.

[3]) Liv. VII. 3. 7.

[4]) Mommsen Chronologie² p. 270.

[5]) Plutarchi Valerium Poplicolam e Valerii Antiatis annalibus desumptum esse paene pro certo ponere possumus — conf. H. Peteri librum: Die Quellen Plutarchs in den Biographieen der Römer. Halle 1865 p. 45—51. K. W. Nitzsch: Röm. Annalistik p. 154. — ac profecto in illa vita inveniuntur quae comparari possint cum locis quibusdam horum de quibus nunc disputavi et sequentium capitum. Plut. Popl. cap. 22 legitur: *Καὶ κατὰ τύχην ὁμίχλης βαθείας ἐμπεσούσης,* Liv. X. 32 6: *nebula erat ad multum diei densa* adeo, ut sqq. — Ceterum fasti triumphales huius anni cum Livio non conveniunt; nam praeter L. Postumium Megellum et ipse M. Atilius Regulus cui secundum Livium cap. 36, 19 hic honor negatus est, V. Kal. Apr. triumphat. Ungerus — Römische Stadtaera p. 86 — mirum in modum Livium et fastos inter se conciliare studet.

Samnium profectum esse narret, eum scriptorem nostrum secutum esse apparet, qui supra in § 18. cap. 36. M. Atilium Interamna exercitu relicto Romam comitiorum causa rediisse prodiderat. Quo argumento quamquam res paene absolvitur, tamen fortasse juvabit nonnullis aliis quamvis minoris ponderis argumentis fulcire hanc meam sententiam. Silentio praetereo persaepe inveniri numerum octonarium, id quod supra iam monui, et in capite 42. § 5 tam temere numeros excogitasse auctorem Livii, ut si rationem institueris perpaucos hostium e pugna evasisse tibi dicendum sit. Sed fortasse illud maioris est momenti, quod qui ordo rerum in capitibus antecedentibus 32—37 invenitur, idem est in nostris 38—46: initio enim anni consules diversi Samnium pervagantur urbesque expugnant, tum utriusque et L. Papirii et Spurii Carvilii res in Samnio gestae exponuntur, denique iterum ab utroque urbibus expugnatis Spurius Carvilius in Etruriam cum rebellasse Etruscos a sociis allatum esset, proficiscitur eamque pacavit. Adde, quod et verba ipsa auctorem quem jam novimus produnt:

cap. 38. § 4: »ad quadraginta milia militum, quod roboris in Samnio erat« conf. cum cap. 14. § 9. nostri libri.

cap. 39. § 14: »datum hoc forsan nomini familiaeque suae« conf. c. 28. § 13: datum hoc nostro generi est.

cap. 41 § 7: »et consul affirmavit errorem clamitans inter prima signa, ita ut vox etiam ad hostis accideret, captum Cominium, victorem collegam adesse«, conf. cum cap. 14 § 18. 19.

cap. 41 § 9: »panduntur inter ordines viae« conf. c. cap. 5 § 6.

Ac ni ex ipso nostro libro quisnam sit autor horum de quibus nunc dissero capitum legenti probare possim, nescio an libro nono quo inde a capite 39. usque ad 40. res a L. Papirio Cursore in Etruria et Samnio gestae narrantur aliquid proficiam. Atque ut per se ipsum non verisimile est, in rebus tam similibus diversos consuluisse Livium scriptores, ita et sententiarum verborumque similitudo eundem prodit auctorem e. gr.: IX. 40 § 5: quippe illa praedam verius quam arma esse, nitentia ante rem, *deformia inter sanguinem* et *vulnera*.

X. 39 § 11 et 12: multa de praesenti hostium apparatu vana magis specie quem efficaci ad eventum disseruit . . . . et candore tunicarum fulgentem aciem, *ubi res ferro geratur, cruentari.* — Accedit, quod in utriusque pugnae narratione inveniuntur, quae nostrae sententiae faveant: veluti apparatus armorum descriptio, imperatorum adhortationes ne milites alium exercitum vel aliam ejus partem victoriae compotem esse sinant, equitum insignis opera, quorum impetu

hostes territi sternuntur atque fugantur.[1] Atqui notissimum est, Livium in prima decade praecipue duobus uti auctoribus, Valerio Antiati et Licinio Macro, hunc autem in capite 38. libri noni ita laudat, ut eius annales nostrum in L. Papirii patris rebus exponendis non esse secutum luce sit clarius. Manebit igitur id quod iam supra contendi, Antiatem, cuius annales ubertate quadam abundantes praeter ceteros apud Romanos legebantur, a Livio in hac operis sui parte esse exscriptos.[2] — Jam supra cum de priore anno disputarem Livium non solum non cum ceteris auctoribus conspirare, sed ne cum fastis quidem triumphalibus adnotavi. Ac quamquam ceterorum scriptorum relationes Livius in huius anni fine non recenset, tamen ne huius quidem anni memoriam constantem fuisse et ex fastis triumphalibus apparet, secundum quos Sp. Carvilius ante L. Papirium idibus Januariis de Samnitibus triumphavit, et ex loco quodam Plinii[3]) quo Sp. Carvilius e pectoralibus ocreisque et galeis Samnitium *sacrata* lege pugnantium permagnam Jovis statuam fecisse narratur; quo ex testimonio nescio an concludere possis fuisse qui traderent, *ambo* consules ad Aquiloniam contra *sacratum* exercitum rem gessisse eandemque hoc loco intercedere rationem ac supra in cap. 37. § 14. Auctor enim Livii ut uberiorem plenioremque narrationem exhibere posset, utroque anno diversis locis imperatores Romanos bellum gerentes fecisse videtur[4]).

---

[1]) Mirum est, quod et ipsi Etrusci eo anno quo Papirius dictator erat, *lege sacrata* exercitum coegerunt conf. IX. 39. 5: „lege sacrata coacto exercitu cum vir virum legisset“ et X. 38. 12: „eis dictum, ut vir virum legeret“.

[2]) Num forte accidisse putas, ut in utriusque anni fine quibus Papirii rem gerebant, auctor Livii haec adiciat: IX. 40. 20: legationibus Etruriae amicitiam petentibus prae se Romam ad senatum missis *consul praestantiore etiam* quam *dictator* triumphans urbem est invectus; X. 46. 13: his rebus actis ad triumphum decessit — scil. Carvilius — ut *minus clarum* de Samnitibus quam collegae triumphus, *ita cumulo Etrusci belli aequatum?*

[3]) Plin. histor. nat. XXXIV. 7. 43. Hunc locum laudat Niebuhrius hist. Rom. III³ 463 adn. 663 et quamquam in ceteris presse legit Livii vestigia, tamen ne nimiam fiduciam rerum quas diligentissime Livius exponere videatur habeamus, opera data monet.

[4]) Fortasse hac ex re perspicitur, qui fieri potuerit, ut numeri quos exhibet Livius cum rebus ipsis non conveniant. Nam quamquam Livius quo loco de belli apparatu hostiumque dilectu — ineunte cap. — 38. disserit praeter quadraginta illa milia quae ad Aquiloniam contra L. Papirium pugnabant, alias copias non commemorat, tamen cap. 42 Carvillii res ad Cominium ita exponuntur, ut etiam hac in urbe haud exiguum Samnitium exercitum fuisse nobis putandum sit,

Atque si hac mea disputatione recte Antiati hanc libri decimi partem — dico capita 38—46 — tribui, nescio an quae Ungerus in commentatione saepius laudata[1]) de auctore capitum 8—19 libri XXXIX edisseruit, novo fulciantur argumento. Refert enim Livius oco laudato de Bacchanalibus et dilucide quid in clandestinis illis conventis initiati egerint, narrat, sed ita ut magis indoli suae rhetoricae serviat, quam veritati historicae.[2]) Jam quicunque caput 38 nost. libri cum decimo vel tertio decimo libri XXXIX comparaverit, facere non poterit, quin in utraque descriptione studio quodam ac voluptate diras ac nefandas res proditas esse dicat; interdum autem ad verbum loci quidam conspirant:

X. 38. 10:

singuli introducebantur . . . . admovebatur altaribus magis *ut victima* quam ut sacri particeps.

XXXIX. 10. 6:

ut quisque introductus est, velut victimam tradi sacerdotibus.[3])

Jam gaudeo me eis quae adhuc edisserui aliquid ad solvendam difficillimam quaestionem afferre posse. Pergit enim noster cap. 47 de tribunis plebis creatis narrare, tum de censoribus lustroque condito; sed non solum quot capita censa sint adicit, sed etiam quoti censores eo anno a primis censoribus fuerint, et quotum lustrum sit conditum. Qui locus cum sit vexatissimus, verba ipsius Livii adponam: „censores vicesimi sexti a primis censoribus, lustrum unde XX — sic locum exhibent codex Mediceus et Parisinus — fuit“. Atqui in fastis consularibus ad hunc annum lustrum factum esse tricesimum adscriptum est; a quo numero decem lustris ante censurae magistratum institutum detractis, restant viginti lustra, quem numerum de ea potissimum causa apud Livium exspectes, quod erat mos Romanorum decimum quemque annum in tabulis chronologicis notare, id quod et fasti consulares ostendunt et locus Livianus probat, quo decimum lustrum post primum a Servio Tullio conditum opera data commemoratur. Nihilosecius autem retinuerunt editores scripturam undevice-

---

[1]) Die röm. Quellen des Livius etc. p. 136.

[2]) Conf. Nisseni librum: Kritische Untersuchungen, p. 222.

[3]) Plutarchus in vita Poplicolae coniurationem Vitelliorum Aquilliorumque describens haec exhibet: *ὅρκον ὀμόσαι μέγαν ἔδοξε πᾶσι καὶ δεινὸν, ἀνθρώπου σφαγέντος, ἐπισπείσαντας αἷμα καὶ τῶν σπλάγχνων θιγόντας*, ut hi quoque „nefando sacro *hominumque caede respersi*“ dici possint. Conf. Nitzschii librum: die röm. Annalistik, p. 34.

simum, quamquam jam Huschkius [1]) lectionem »inde vicesimum« commendaverat. Post quem Mommsenus [2]) eis quae supra attulimus argumentis eandem iterum viris doctis probare studebat ac quamquam non omnibus, [3]) Weissenbornio tamen ita persuasit, ut in textum quem vocant illam »inde« particulam reciperet. Quod eum recte fecisse ex his aliis causis cognosci potest: vidimus Livii auctorem usque ad caput 46. fuisse Antiatem neque habemus cur primas duas cap. 47 paragraphos quibus quae ille de numero lustri affert continentur, alii tribuamus scriptori. Quem autem supra laudavimus locum — III. 24. 10 —, eum ex eodem Antiate desumptum esse jam diu propter census numeros subtiliter exactos viri docti suspicati sunt. [4]) Confirmatur igitur his Antiati Livium hos lustrorum numeros debere, qui secundum consuetudinem Romanam decimum quodque lustrum in annalibus adnotavit. Ac jure quodam dixerit quispiam hanc sententiam propterea falsam esse, quod vicesimum ab origine urbis vel decimum a primis censoribus lustrum quod in tertio libri septimi capite nostrum adscribere oportuit, praetermissum sit. Sed primo oculorum obtutu qui illud caput examinaverit, cur Livius lustrum illud silentio praeterierit, explicare poterit. Exponit enim noster illo et antecedenti capite de placaminibus deorum quibus Romani vim pestilentiae levare conabantur, atque ipse in fine narrationis auctoris nomen, qui erat Cincius »diligens talium monumentorum auctor«, affert. Hanc igitur causam esse arbitror, cur Livius de vicesimo ab origine urbis lustro nihil comperti habeat.

Quae tum eiusdem capitis paragraphis 3 et 4 de honoribus victorum et de damnatis aliquot pecuariis enarrantur, ea quin noster ex diversis auctoribus exscripserit, non est dubium praesertim cum in fine unius cuiusque anni quid singuli auctores praeter fontem primarium exhiberent, adicere soleret; sed jam paragrapho quinta Antiati rursus se adstringit, id quod et sequentibus demonstrabitur et comparatione verborum cap. 31 § 8: »Felix annus bellicis rebus« cum paragrapho sexta nostri capitis: „multis rebus laetus annus" efficitur.

---

[1]) In libro egregio: Die Verfassung des Koenigs Servius Tullius als Grundlage etc Heidelberg 1838 p. 520 adn.

[2]) In Hermae vol. I. p. 129.

[3]) A. W. Zumptium ut in multis aliis rebus, ita ne in hac quidem assentientem habet. conf. mus. Rhen. XXVI. p. 10. a. 1.

[4]) Conf. Schwegleri hist. Rom. II. 689.

Jam restat, ut breviter primum et secundum nostri libri caput quae ne disputationis ordinem turbarem, usque ad finem reservavi, perstringam. Ac primo quidem capite de coloniis Soram atque Albam deductis quibus Romani fines ab incursionibus Samnitium tutos reddebant, tum de parva expeditione in Umbriam facta, denique de bello Aequico quod tantum Romae terrorem fecit, ut ob id dictator diceretur, agitur. Cuius tumultus cum mentionem facit Livius, diserte nos ad priorem Aequorum cladem, quam IX. 45. 17 exposuerat, delegat, quo loco illa clades tanta fuisse dicitur, ut paene ad internecionem nomen Aequorum deletum esset. Duobus autem annis post, cum iterum permagnum iniecisse eosdem Aequos Romanis terrorem noster narret, exaggerasse res auctor Livii putandus est ac propterea non video, cui aptius hoc caput tribui possit quam Antiati quippe quem ideo in annalibus suis falsam rebus speciem imponere sciamus, quo Romanorum victorum gloriam amplificet [1]). Quae quamquam non certa ratiocinationis necessitate continentur, tamen probabiliora fiunt, si reputas verba paragraphi 8: »tantum terrorem Romae fecere« cum cap. 4. § 1 et cap. 33. § 8 conferri posse quos locos Antiati vindicavi. Sed accedit aliud. Narrat enim Livius C. Junium Bubulcum dictatorem Aequos primo concursu subegisse ac die octavo triumphans in urbem cum rediisset, aedem salutis quam consul vovisset, censor locasset, dictatorem dedicasse. Accurate igitur auctor Livii et quoto die post profectionem in urbem redierit dictator et quae temporis intervalla inter voti nuncupationem et locationem et dedicationem interfuerint, adnotavit. Ac quamquam ad totam hanc disputationem eo accessi studio, ne quae alii in Livii fontes inquirentes eruncleaverunt, pro certis ac firmis argumentis ratiocinationi meae substruerem, tamen fortasse hoc loco e re erit ad Ungeri viri doctissimi commentationem recurrere, qui mea quidem sententia recte statuit [2]) hanc intervalla notandi rationem Antiatem scriptorem prodere [3]). Usque ad alteram paragraphum capitis secundi

---

[1]) Conf. Ungeri commentationem: Die röm. Quellen des Livius p. 18 et 24.

[2]) Die röm. Quellen etc. p. 18.

[3]) Quamquam Livius ipse quo anno C. Junius templum voverit in annalibus non prodit, tamen quin fons eius in antecedentibus illud adiecerit, non dubitandum est. Nescio an in pugna ad Bovianum commissa a. u. c. 443 factum sit. Censor erat Junius Bubulcus anno 448 u. c. — Qua cum Antiatis relatione optime consentiunt fasti triumphales qui C. Junium Bubulcum II. dictatorem III. Kal. Sext. de Aequis triumphasse exhibent.

omnia optime sese excipiunt. Neque vero Cleonymi expeditionis fama constans erat. Nam cum auctor quem inde a capite primo Livius ob oculos habuit a M. Aemilio *consule* fugatum esse ducem Laconum narrasset, in annalibus, quorum noster paragrapho tertia mentionem facit, prorsus aliter rerum ordinem expositum fuisse clarum est. Quod enim hi annales C. Junium Bubulcum *dictatorem* in Sallentinos missum esse referebant, inde apparet auctores non solum de bello contra Cleonymum gesto discrepasse, sed etiam de bello Aequico, quod *solum*, si priores annales audis, dictator intra octo dies ad finem perduxit. Nam post templi dedicationem secundum priorem relationem C. Junius Bubulcus magistratu se abdicasse putandus est. Annales igitur quos § 3 Livius laudat, aut per longius temporis spatium dictaturae magistratu C. Junium Bubulcum functum esse aut ab Aemilio consule bellum Aequicum gestum esse narrabant. Tum autem Cleonymi expeditionem, quam inde a Thuriis urbe[1]) praeter litora Italiae usque ad Venetorum fines fecit, Livius accurate exponit. Diodori capita[2]) huc pertinentia nunc non curabo, sed potius videbo, num quid certi ipsius Livii caput respiciens statuere possim. Primarius igitur auctor ni totus fallor, verbis: »Sallentinoque agro pax parta« narrationi quam de Cleonymi expeditione in Italiam facta dederat, finem imposuit, id quod multis Livii locis probatur[3]) quibus similiter cuiusdam belli descriptio ad finem perducitur. Jam quaeritur utrum Livius inde a verbis »circumvectus inde Brundisii promunturium« in exscribendis eis annalibus, in quibus Junium Bubulcum *dictatorem* in Sallentinos missum invenit, perseveraverit, an cetera id quod multi censent, ex sua cognitione quippe qui Patavi natus aliquid patriae amori dederit[4]), adiecerit. Jam vero ipsius Livii diserto testimonio compertum habemus, eum statuisse non ultra attingere externa nisi qua Romanis cohaererent rebus[5]); si vero alicubi nimis celeri res componendi ratione potius quam certo consilio in externarum rerum narrationem inductus est, inchoatam

[1]) Quod Weissenbornius ad. h. l. et Rospattius in philologi volumine XXIII p. 74 de Uria quam urbem et Herodotus VII. 170 et Strabo VI. 2 commemorant, cogitaverunt, eam sententiam quod Uria non ad litus sita est, reprobo. Potius assentior Dujatio qui de Rudiis cogitavit.

[2]) Diodor. XX. 104. 105.

[3]) II. 25. 6. IV. 51. 8. V. 25. 15. VI. 9. 12 sqq.

[4]) Conf. F. Lachmanni commentationem: de fontibus T. Livii I. p. 76.

[5]) Liv. XXXIX. 48.

cito abrumpit[1]). Dixerit igitur quispiam hoc loco nostrum a proposito aberrasse et recedentem a fontibus hunc de Cleonymo excursum addidisse, praesertim cum hac ratione gloriae Patavinorum popularium servire posset. Sed perraro Livius animo suo requiem quaerebat et si res a fontibus alienas expositurus est, a legentibus, quod ab justo rerum ordine declinet, quasi veniam petit[2]). Adde quod tribus locis Livius Alexandrum Epirensem qui in Italiam excensionem fecit, commemorat[3]) et alias in prima decade Graecarum haud neglegens esse videtur rerum, quas Livium fontes secutum rettulisse ita in promptu est, ut disputatione non egeat. Verisimile igitur mihi videtur Livium Cleonymi expeditionem in Venetos factam in eo auctore invenisse quem paragrapho 3 inspexit eamque narrationem propterea praeterire noluisse, quia Cleonymus in Italia bellum gessit[4]). Sperabam cum primo in huius loci fontes inquirerem me rationibus chronologicis aliquid profecturum esse. Quo enim loco Alexandri Epirensis primum fit mentio, Livium prorsus alio calculo temporum uti atque aliis duobus locis luce clarius est[5]) et conabar si eandem rationem nostro loco et uno ex illis tribus adhibitam esse statui posset. Sed hac spe destitutus sum. Ad aliam igitur confugi coniecturam, quam etiamsi pro certo ponere non ausim, tamen a probabilitate non abhorrere largieris. Jam hic ad Diodori recurrere narrationem necesse est. Is fere haec exhibet: »Bello inter Tarentinos et Lucanos Metapontinosque[6]) ardente Tarentini auxilium et Cleonymum ducem a Lacedaemoniis petiverunt. Quibus cum Lacedaemonii obsecuti essent, et Cleonymus dumtaxat viginti milia militum in Graecia et in Italia coegisset, Lucanos illos quidem Cleonymus a bello deterruit, Metapontinis autem subactis aliquamdiu luxuriosius et disciplinae Laconicae oblitus in eorum urbe versatus et paulo post Corcyra insula quam propugnaculum haberet, potitus est. Sed

[1]) XXXIII. 20. XXXV. 40. XXXXI. 25.

[2]) IX. 17. 2.

[3]) VIII. 2. 6. VIII. 17. 9. VIII. 24.

[4]) Notum est Livium hoc argumento uti, quo loco cur Alexandri Epirensis tristem eventum narraverit, dicit VIII. 24. 18.

[5]) Hac re Ungerus commotus est, ut suum cuique loco auctorem tribueret. Conferas commentationem illius viri quae impressa est in: Sitzungsberichte der Königl. bair. Academie philos.-philol. Klasse 1876. p. 563 sqq.

[6]) Probo Ungeri coniecturam, qui librarii mendum esse in verbis Diodori XX. 104: *πρὸς Λευκανοὺς καὶ Ρωμαίους* arbitratus scripsit *πρὸς Λευκανοὺς καὶ Μεταποντίνους*. Römische Stadtaera p. 80.

cum Tarentinos defecisse audisset, in Italiam rediit, ubi primo quidem res ei prospere cessit, tum autem tantis afflictus est cladibus, ut iterum Italia excederet et Corcyram insulam classe peteret.« Haec omnia anno u. c. 451/452 — 303/302 a. Chr. — Diodorus tribuit, quod num jure fecerit, hodie vix diiudicari poterit; quam autem exhibet Livius narrationem, eam cum Diodoro ita conciliat Rospattius in philologo [1]), ut tertiam et proximo anno factam escensionem esse contenderet, qua in re vir doctus me totum habet assentientem. Atqui cum Nitschius [2]) in programmate Berolinensi Diodorum quae de Cleonymo duce narret, ex Duride Samio hausisse recte docuerit, porro cum nos supra, ubi de pugna Sentinati disputabamus, in quibusdam fontibus Romanis vestigia eiusdem auctoris Graeci indagasse nobis videamur, fortasse haud temere coniciamus a Livii fonte Duridem esse in usum vocatum.

[1]) Philologi vol. XXIII. p. 73 sqq. — Niebuhrium (hist. Rom. III³ 319) et Droysenum (Hellenism. II. 2. 286) non habet assentientes.

[2]) König Philipps Brief an die Athener und Hieronymus von Kardia Berlin 1876 — conf. praecipue p. 6: Mit Bestimmtheit ist Diodor XX. 104 der Bericht über Kleonymus auf Duris Werk τὰ περὶ Ἀγαθοκλέα zurückzuführen.

Jam superest, ut breviter ceterorum auctorum latinorum narrationes ad hunc decimum librum pertinentes pertractem; ac quamquam ex eis non tantum fructus quantum ex Graecis scil. ex Dione et Zonara capiam, tamen ob eam causam utile erit de eis scriptoribus disserere quod opportunitatem mihi praebent profitendi, quam rationem esse inter eos et opus Livianum censeam. Atque ut summatim jam dicam, ad quam sententiam pervenerim: nec Florus neque Orosius neque is qui epitomen confecit ipsum Livium ob oculos habebat. Thouretii [1]) autem sententiae qui omnes tres eundem in usum vocasse fontem arbitratus est, assentiri non possum, quamquam libentissime largior etiam in eis partibus, de quibus mihi disputandum est, extare quaedam indicia, quae Thouretii sententiae faveant. — Ac primum quidem de Floro dicam, qui duodecimo capite de bello Etrusco Samnitico Gallico agit, sed ita, ut utrum magis incredibilis ejus levitas accusanda sit an ei propter nimium captum venia danda, nescias. Narrat enim Florus acervatim Italiae gentes contra Romanos pugnasse et Etruscorum duodecim populos, Umbros in id tempus intactos antiquissimum Italiae populum, Samnitium reliquos in excidium Romani nominis repente coniurasse; ac si in sequentibus auctorem de Q. Fabii Maximi rebus gestis et de P. Decii devotione disserentem audis, prima quidem specie consulatus anni 459 u. c. res memoriae prodi cogitabis. Sed mirum in modum Florus res obscuravit atque inter se confudit. Primum cum § 1 tres tantum populos coniurasse, referat, alterâ infesta *quattuor* agminum signa per Etruriam volitasse dicit, tum inde a paragrapho tertia auctor subito in res, quas Livius exponit libro nono cap. 36 sqq. incidit, neque solum res ad librum nonum pertinentes, sed etiam verba ex diversis ejusdem libri partibus petita inde a § 3 usque ad § 6 leguntur. [2]) Nec minorem levitatem

[1]) Der Gallische Brand in: XI. vol. suppl. annal. Jahnii p. 182.

[2]) Flor. § 2: „Umbri in id tempus *intacti*“ cf. c. Liv. IX. 41. 8: defectis Umbrorum gentis *integrae* a cladibus belli.

Flor. § 3: Ciminius interim saltus in medio ante invius plane quasi Caledonius vel Hercynius“ conf. c. L. IX. 36. 1. Silva erat Ciminia magis tum invia . . . . quam nuper fuere Germanici saltus.

Flor. § 4: ille per noctem pastorali habitu speculatus omnia refert tutum iter“ conf. c. Livio IX. 36. 2: speculatum se iturum professus et . . . . . — § 6 — iere pastorali habitu.

vel ignorantiam sapiunt, quae de P. Decio filio memoriae produntur. Nam quod auctor Decium in sinu vallis oppressum se devovisse narrat, sine dubio haec scripsit respiciens Livii septimi libri caput 34, quo A. Cornelius Cossus consul exercitum incaute in saltum cava valle pervium induxisse audaciaque P. Decii patris servatus esse dicitur. Quem errorem quantum equidem scio nemo ante me sic explanavit, eo autem plus laboris viri docti in sananda prima paragrapho, qua singulae gentes enumerantur, consumebant, ut diversitatem quae est inter primam et secundam paragraphum tollerent. Propterea erant, qui perperam omissos esse Gallos censerent ac scribendum esse conicerent: »Samnium Galliquee« ut Freinsheimius, vel »reliqui Gallique« ut Dukerus. Sed operam perdiderunt hi viri docti, nam consulto Florum Gallos omisisse, ut quorum res gestas capite octavo absolvisset, levitate autem sequenti paragrapho de quattuor agminibus balbutire Köhlerus[1]) mihi persuasit. Sed hoc illis viris concedo in fonte Flori Gallorum nomen eo in quem intrudere volebant, loco extitisse et haec est causa cur de hac re egerim. Enucleavi hac ratiocinatione ordinem populorum in fonte Flori hunc fuisse: Etrusci Umbri Samnites Galli. Atqui si reputas apud Livium gentium nomina in alium ordinem digesta fuisse, porro in Flori capite multas res perversas et a T. Livii narratione alienas legi, certe mihi neganti Florum Livio ipso hac in parte usum non obloqueris.

Nescio an hic sit idoneus locus breviter adnotandi, cur ne eum quidem, qui decimi libri periochen confecit ante oculos habuisse ipsum opus Livianum arbitrer. Nam ut praetermittam alias res parum diligenter expositas[2]), etiam hic idem populorum ordo legitur, quem apud Florum invenimus. Conferas quaeso haec verba epitomatoris: Cum adversus *Etruscos, Umbros, Samnites, Gallos* P. Decio et Q. Fabio ducibus pugnaretur sqq. Ac quod epitomator dicit contra quattuor populos consules dimicasse, inde nolim concludas quendam eorum auctorum, qui quattuor populos pugnae adfuisse memoriae prodiderant, esse in usum vocatum, sed potius epitomator nimio res contrahendi studio commotus esse videtur, ut hac dicendi ratione uteretur.

[1]) F. E. Köhler: Observationes criticae in Junium Florum Diss. inaug. Götting. 1865 p. 13.

[2]) e. g. legem de provocatione a Murena consule ad populum latam esse dicit.

Jam transeamus ad Orosium, qui quamquam in aliis presse Livii vestigia legisse videtur, tamen in aliis ita ab eo recedit, ut contraria atque Livius referat. Cuius rei utrum causa ex incuria Orosii an ex alio auctore adsumpto repetenda sit, ex sequenti disputatione apparebit. Capite 21 libri tertii Orosius de pugna Sentinati atque pestilentia eo anno Romam urente agit atque in ea quidem re cum Livio optime consentit, quod Etruscos Umbrosque pugnae non interfuisse dicit, sed Livium ita quasi corrigit et supplet, ut et Umbrorum fines Romanos depopulatos narret et hac ratione causam, cur Umbri abfuerint, afferat; nos autem hanc causam de Livii narratione disserentes non nisi coniectura assecuti sumus. Accedit alia narrationis Livianae et Orosianae diversitas, quae quamquam una vocula »absque« continetur, tamen tanti est ponderis, ut Livium ipsum, etiamsi eum laudat, inspexisse Orosius non sit putandus. Nam Livius ut quorundam auctorum permagnos numeros explicet, opera data adicit Umbros Tuscosque ab eis hostibus esse annumeratos, Orosius autem quamquam eosdem populos non in pugna fuisse dicit, tamen eosdem perhibet numeros. Sed absolvitur res initio capitis 21, ubi haec leguntur: »namque *Etrusci Umbri Samnites* et *Galli* uno agmine conspirantes Romanos delere conati sunt.« Idem igitur nobis occurrit ordo populorum, quem et in fonte Flori statui et qui apud epitomatorem legitur, nec parvi momenti esse existimo, quod ineunte capite 12 tenor narrationis Floriane in hunc modum cum Orosio consentit:

Florus cap. 12. 1:	Orosius III. 21. 1:
.... Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente coniurant. Late per Etruriam infesta quattuor *agminum* signa volitabant.	... quattuor ... populi in unum *agmen* foedusque coierunt. Namque Etrusci Umbri Samnites et Galli uno *agmine* conspirantes Romanos delere conati sunt.

Quae autem capite proximo — 22 — continentur, ea paene nihil exhibent, quod lucem quandam ad nostras quaestiones afferat, nisi narratiunculam, quam Orosius de pullario perverse memoriae prodit, indicium esse arbitreris Orosium Livium ipsum hac in parte non adhibuisse. Ad eandem igitur perveni sententiam, quam is qui editionem Zangemeisteri indicavit professus est[1]): »Dagegen stellt sich definitiv heraus, dass Orosius nicht Livius selbst benutzte.«

[1]) F. R. in: Litterar. Zentralblatt 1882 p. 380.

Jam dicendum est de libello de viris illustribus, qui fertur Aurelii Victoris nomine. Quem ex antiquis eisque fide dignis auctoribus sua hausisse inter omnes constat atque ego quoque, quamquam per pauca sunt quae ab Aurelio relata ad decimum librum pertineant, idem judicium proferre potero. Ac ne longior sim, de capitibus tantum 27. 32. 34. diligentius edisseram.

Capite 27 nihil proficimus nisi quod populi, qui contra Romanos conspiraverant, in alium ordinem digesti recensentur. Ordo autem hic est: Galli Samnites Umbri Tusci, quam rem ideo premo quod in capite 32 ad quod nunc transeundum est, *Marsorum* nomen pro *Samnitico* legitur. Ac prima illius capitis paragrapho refert Aurelius de Q. Fabii Rulliani triumphis et primum illum virum triumphasse dicit de Apulis ac Nucerinis. Jam Livii narrationem ad easdem res pertinentem si cum hoc auctoris de viris illustribus testimonio comparas, hunc cum fonte illo quidem, cui se primario Livius adstrinxit, non congruere in propatulo est, sed initio cap. 40 libri VIII Livius alios consuluit auctores, qui consules, non dictatorem anni 432 u. c. bellum gessisse ac de Samnitibus triumphasse tradebant, iidemque annales adiecerunt in Apuliam Fabium processisse; quibuscum fasti triumphales qui de Samnitibus et Apuleis Fabium XII Kal. Mart. anni CDXXXI triumphum egisse exhibent, consentiunt. De Apulis igitur in tribus fontibus res constat, de Nucerinis Aurelius Victor solus aliquid comperti habet. Sed ne de altero quidem triumpho, quem Fabium de Samnitibus egisse apud Aurelium Victorem legimus, hic scriptor cum ceteris antiquitatis monumentis conspirat. Nam et Livius[1]) et fasti triumphales non de Samnitibus sed de Etruscis Fabium iterum triumphasse produnt. Sed de hoc auctoris loco tum demum certum proferri poterit judicium, si de tertio triumpho quid constet, videro. Ac supra jam docui Aurelium Victorem cum capite 27 Gallos Samnites Umbros Tuscos contra Romanos conspirasse exposuerit aliorum non ordinem, sed nomina saltem servans hic de Gallis, Umbris *Marsis* atque Tuscis Fabium tertio triumphasse narrare, quae descrepantia mihi tanta esse videbatur, ut non scriptoris, sed librarii cuiusdam errorem me reperisse judicarem, praesertim cum apud neminem auctorem de bello contra Marsos illo anno gesto quidquam traditum sit. Atque quamvis non sim nescius abstinendum esse ab eo criticae

[1]) Liv. IX. 40. 20.

artis genere, quo non ex codicum indiciis, sed ex historicis argumentis scriptores emendantur, tamen hanc meam sententiam proferre non dubitavi: tertium enim cum Fabius consul creatus esset, — anno 446 u. c. — Samnium ei provincia evenit; ac Livio teste[1]) postquam Nuceriam Alfaternam oppugnando subegit, haud magno certamine Samnites victi sunt; neque ejus pugnae memoria tradita foret, ni *Marsi* eo primum proelio cum Romanis bellassent. Propter hanc igitur primam victoriam de Marsis reportatam Fabium triumphasse auctor de v. ill. in quibusdam annalibus invenisse videtur, qua ratione factum esse arbitror, ut de altero enarrans triumpho Marsorum faceret mentionem, quorum nomen librarii incuria in eorum quattuor populorum numerum intrusum est, qui supra capite 27 afferuntur. Scribendum igitur censeo: »primum de Apulis et Nucerinis, iterum de *Marsis*, tertio de Gallis Samnitibus Umbris atque Tuscis.«

Capitis 34 ad nostrum decimum librum duae tantum paragraphi 4 et 5 pertinent. Ac de quarta quidem supra iam, quae e re esse duxi, adnotavi[2]), quinta autem quamquam brevi dicendi genere Aurelius utitur, tamen quorum scriptorum vestigia legerit diiudicari potest. Livius enim anni 459 u. c. res exponens varias causas cur Fabius ex Etruria Romam rediisset, a scriptoribus relatas esse invenit atque largius quid quidam de reditu et rebus post eum factis prodiderint, narrat. Legimus apud Livium Appium belli Etrusci terrorem auxisse et Romanos ne uni imperatori hoc bellum committerent, monuisse; qua cum relatione verba Aurelii conferri possunt: ne Fabius solus ad bellum mitteretur contradixit.[3]) — Sequitur breve Aurelii Victoris enunciatum: Sabinos, Samnites Etruscos bello domuit: quas res gestas ad alterum Appii Claudii consulatum referendas esse primo oculorum obtutu apparet. Ac de bello quidem, quod Appius cum Volumnio in Etruria gessit, Livius ut vidimus largam et prolixam exhibet narrationem; sed eundem ducem Romanum etiam in Samnio bellasse, id in continuae narrationis tenorem non recepit, breviter autem eo loco quo ceterorum scriptorum discrepantias recenset, X. 17 § 11 et 12, adnotavit. Ex quattuor igitur illis quas l. l. affert relationibus tertia, qua novi consules — Appius Claudius

[1]) IX. 41.

[2]) p. 26 a. 2.

[3]) Miror Keilium in editione sua libri de viris illust. Breslau 1872 verba „ne Fabius solus“ ect. referenda esse ad Liv. IX. 42. 4 adnotare.

Caecus L. Volumnius — aliquot urbes Samnitium cepisse dicuntur, ad nostrum auctoris de v. ill. locum spectat. De Sabinis autem ab Appio perdomitis Livius quidem nihil comperti habet, sed extat aliud monumentum, quod cum Aurelio Victore quamquam res alio ordine sese excipiunt conspirat. In élogio enim Appii Claudii haec leguntur[1]: complura oppida de Samnitibus cepit, Sabinorum et Tuscorum exercitum fudit. Hac igitur ratione enucleavi artius inter se cohaerere fontem Aurelii Victoris elogiumque Appii et bis eundem Aurelium eum sequi fontem, quem inspexit quidem Livius, sed non primarium adhibuit.

---

[1]) De hoc elogio egit Mommsenus in primo vol. corp. insc. lat. p. 287.

Auctores Graeci.

1) Polybius.

Piget totam retractare quaestionem, quemnam fontem Polybius in capitibus 17—23 libri secundi adhibuerit. Nam fere inter omnes[1]) constat Polybium in illo excursu de incursionibus Gallorum Fabium antiquissimum Romanorum scriptorem secutum esse, quippe qui de his rebus accuratissimam haberet cognitionem. Ac quamquam concedendum est, a Polybio Fabii narrationem in compendium missam esse, tamen quilibet ex his capitibus quantum intersit inter vetustiores annalium scriptores et eos qui Sullae aetate floruerunt, cognoscere potest: cum Livius hos secutus copiose res exponat, antiqui summam rerum adumbrabant magis quam singulas res explicabant; atque eodem Polybio duce quam perverse nonnulli viri[2]) docti cum gens Fabia decimo Livii libro praeclaris laudibus celebretur, Fabium fuisse Livii fontem contenderint, videmus. —

Jam quoniam disputationis meae summa ad ea tantum bella spectat, quae decimo Livii libro continentur, proficiscendum est, inde a primis paragraphis capitis undevicesimi. Polybius autem fere haec narrat: Galli per triginta annos pacem agentes, cum rursus Galli Transalpini arma moverent, veriti ne grave cum iis exardesceret bellum, dona ferentes et consanguinitatem praetexentes a se ipsis impetum eorum averterunt; sed eos in Romanos impulerunt, cui expeditioni et ipsi interfuerunt. Proficiscebantur per Etruriam atque Tusci cum eis sese coniunxerunt. Magnam cum in finibus Romanorum praedam fecissent, integri ex illis quidem evaserunt, sed domi

---

[1]) Confer praecipue Mommseni commentationem: „die gallische Katastrophe“ in: Röm. Forschungen II p. 356 a. 104. Praeterea Nitzschii librum: Römische Annalistik p. 277; B. Niesii commentationem in Hermae vol. XIII. p. 402. — Aliam professus est sententiam Ungerus, qui Graecos auctores a Polybio excerptos putat, in: Sitzungsberichte der Königl. bair. Academie d. W. philos.-philol. Classe 1876 p. 563 et in philologi volumine XXXIX. p. 69 sqq.

[2]) Schwegler: hist. Roman. I, p. 15.

cum certamen exortum esset, ipsi se fere ad internecionem redegerunt. — Jam vides, quantopere posteriores scriptores ab antiquis recesserint. Nam cum Polybius Etruscorum exercitu adiuncto Gallos in fines Romanorum invasisse et praeda onustos sine ulla clade in patriam reversos referat, Livius de Romanorum finibus vastatis nihil comperti habet, sed Etruscos ex hostibus Gallos socios facere conatos mercede eos conduxisse, dicit; qua accepta auxilium abnuisse, ni agros acciperent. Nimio igitur patriae amore etiam hic veritas historica obscurata est et pro ea res tritae et usitatae ab auctore Livii expositae sunt: Galli enim ut jam Thouretius[1]) docuit, saepius in annalibus Romanis calliditate quadam excellunt et fere semper ubi apparent, agros postulant. —

Pergit Polybius quarto anno post conspirasse Gallos Samnitesque et Romanis in Camartium finibus magnam cladem intulisse; quo incommodo ita esse Romanorum animos inritatos, ut paucis diebus post exercitum educerent et in agro Sentinati cum omnibus hostium copiis manus consererent; quorum plerosque esse interfectos ceteros domum confugisse. Jam supra cum de capitibus ad hanc pugnam pertinentibus disputarem, cum Livio in eo consentire Polybium monui, quod solos Gallos Samnitesque pugnae adfuisse et ante pugnam Sentinatem Romanos cladem accepisse memoriae proderet. Huius igitur pugnae descriptio Livii melius cum incorruptis antiquiorum annalibus conciliari potest, quam quae supra de tumultu Gallico anni 455 u. c. legimus, cuius rei ea potissimum causa est, quod inde a cap. 24—30 complurium auctorum relationes Livius inter se comparavit; quorum suae quisque narrationi aliquid veri inseruit. Praecipue e verbis paragraphi undecimae cap. 25: »ad Clusium quod Camars olim appellabant« apparet Fabii relationem quasi fundamentum fuisse recentioribus auctoribus, qui ut captui legentium servirent nomen recentius apposuerunt vetustiori; neque minus veritas historica perlucet e paragraphis 10 et 11 cap. 26 quam auctor sequentium paragraphorum non potuit prorsus obscurare[2]).

---

[1]) Der Gallische Brand p. 130.

[2]) Antiatem supra vidimus cladem Romanam secundo proelio obliterare.

2) Dio-Zonaras.

Polybii brevi excursu cum id solum profecerim antiquos annales magnopere esse recentiorum fictionibus depravatos, quae res ita in promptu est, ut disputatione non egeat, de Cassii Dionis reliquiis ejusque epitomatoris Zonarae narratione cum disputabo, pluribus eisque haud parvi ponderis argumentis, quae supra de fontibus statui, firmabuntur.

Jam ne aliorum praeoccupatus videar opinionibus, quaestionem utrum Dio Livium ipsum an ejus fontem exscripserit, nunc non attingam, sed quid sentiam ex sequenti disputatione cognosci posse spero.

Ac primo quidem Dionis fragmento — est in editione Dindorfiana 36. 27 — ad decimum librum spectanti de certamine inter Volumnium Appiumque exorto refertur, quocum frustulo Dionis conferri potest Livius inde a § 6 cap. 19. Verba ipsa apponam:

Dio: *τοῦ Ἀππίου . . . προενεγκόντος αὐτῷ ἐν ἐκκλησίᾳ ὅτι σοφώτερος ὑφ᾽ ἑαυτοῦ γεγονὼς οὐδεμίαν οἱ χάριν εἰδείη.*	Livius: *cavillans*que Appius *sibi acceptum referre diceret debere* quod sqq.

In sequentibus quamquam verba ipsa discrepant, tamen Dionem idem quod Livium dicere voluisse nemo erit qui neget:

Dio: *αὐτος μὲν καὶ γεγονέναι οὕτω σοφώτερος καὶ ὁμολογεῖν τοῦτ᾽ ἔφη, ἐκεῖνον δὲ μηδὲν πρὸς τὰ τοῦ πολέμου πράγματα ἐπιδεδωκέναι.*	Livius: quam mallem tu a me strenue facere quam ego abs te scite loqui didicissem.

Sequens autem Dionis fragmentum intellegi non potest, ni Zonarae epitome quasi adiumento utimur. Qui capite primo libri octavi memoriae mandat, Samnites multis magnisque cladibus acceptis a bello non destitisse, sed Gallos sibi socios adiunxisse, qua re magnus Romae tumultus ortus esset. Zonarae verba haec sunt: *ὃ οἱ Ρωμαῖοι μαθόντες ἐς δέος κατέστησαν* quibuscum conferas Livium X. 21 § 3 »his nuntiis senatus conterritus«. Sed post illa verba Zonaras accurate recenset prodigia eo anno facta ejusque nomen qui interpretatus est illa et — ut videtur — procuravit, affert. Erat Manlius homo Tuscus qui cum eventus vaticinationem adfirmasset, sapientiae famam rerumque futurarum cognitionis apud Romanos consecutus est. Jam Dio fragmento duodetricesimo narrat variis motibus Romanorum animos turbatos fuisse et spe metuque pependisse. Tum autem pergit: *συμβάντων δὲ αὐτῶν ὡς ἑκάστων καὶ . . . . ἐφήρμοσαν καὶ αὐτὸς σοφίας τινὰ*

δόξαν εἰς τοῦ ἀφανοῦς τὴν πρόγνωσιν προσποιεῖσθαι ἐπεχείρει, quibuscum verbis haec Zonarae quamquam sensus haud prorsus idem est, conferenda sunt: *καὶ ἐπὶ τῶν πραγμάτων δ' ἐσύστερον τῆς αὐτοῦ μαντείας ἐκβάσης σοφίας ἐκομίσατο δόξαν καὶ προγνώσεως.* Apud Livium autem eis capitibus, quae ad idem tempus referenda sunt i. e. ad res ante pugnam Sentinatem factas prodigia illa quidem commemorantur, sed breviter tantum attinguntur; paragrapho enim prima capitis 23 haec leguntur: »eo anno multa prodigia fuerunt«; tum de certamine inter matronas patricias et plebeias orto scriptor agit. Jam mirum est cum supra inter Livium et Cassium Dionem tantum statuere potuerimus consensum, ut etiam verba inter se congruerent, hic scriptores aperte inter se dissentire. Sed priusquam, quid ex his concludendum sit, uberius exponam, cetera quae Dionis fragmentis continentur, et apud Zonaram extant, pertractabo.

Inde enim a verbis, quae supra exscripsi: *σοφίας ἐκομίσατο δόξαν καὶ προγνώσεως* Zonaras initium facit describendae pugnae Sentinatis. Ac primum quidem in Samnio Volumnium bellum gerere jussum esse — id quod et ipsum Livii auctorem aliis aliter rem exponentibus narrasse vidimus —, contra Gallos autem ambo consules Fabium Deciumque profectos sine ulla mentione certaminis collegarum refert. Jam dixerit quispiam coartasse Zonaram Dionis narrationem et ob id priorem Fabii profectionem omisisse. Sed reprobandam hanc sententiam propterea censeo, quod ex ipsius epitomatoris verbis apud Dionem auctorem Zonarae eum fuisse ordinem rerum efficitur, quem auctor primarius Livii inde a capite 26 § 11 exhibet. Neque enim si extitisset apud Dionem larga illa contentionis inter Fabium Deciumque narratio, primum Zonaras profectionem Volumnii expositurus fuisse putandus est, sed potius ita res Cassius Dio prodidisse videtur, ut ineunte anno eodem tempore et consules et praetorem in provincias profectos esse et tum *ambo* consules in Etruria Appii belli gerendi rationem mutasse diceret. Quem si consensum inter fontem primarium Livii et Dionem his in rebus intercessisse concedes, melius qui fieri potuerit, ut sequens pugnae Sentinatis descriptio apud Livium et Zonaram congrueret, intellegere poteris[1]). Jam velim hos conferas locos:

[1]) De hoc inter Livium et Dionem intercedenti consensu egit nuper Baumgartnerus in libello qui inscribitur: Ueber die Quellen des Cassius Dio. Tübingen 1880 p. 4 ect. Sed non satis accurate eum id fecisse pluribus e locis apparabit.

Zonaras: *κἂν τούτῳ λύκος ἔλαφον διώκων εἰς τὸ μεταίχμιον εἰσπεσὼν αὐτὸς μὲν — — — διεξῆλθε.*	Livius: cerva fugiens lupum e montibus exacta per campos *inter duas acies* decurrit — lupo *data inter ordines via.*
ἡ δ' ἔλαφος κατεκόπη.	*cervam Galli confixere.*
καὶ ὁ Μάξιμος κατὰ νώτου τε αὐτοῖς προσέπεσε καὶ παμπόλλους ἐφόνευσε.	et *circumvectus ab tergo* Gallicam *invadere* aciem et ..... instare ac territos *caedere.*

In his igitur quamquam sine dubio abbreviata est Zonarae narratio, Livius et Zonaras optime consentiunt[1]), sed quod adiciat Zonaras in fine narrationis Fabium Maximum Decii corpus *σὺν τοῖς σκύλοις* cremasse, Dionem praeter Livium[2]) alium consuluisse fontem Baumgartnerus[3]) opinatur. Sed ab omni verisimilitudine abhorret Dionem propter, rem quae est parvi momenti alium inspexisse auctorem: qua de causa hanc diversitatem aliter explicare conabar. Ac primum quidem Dionem opinabar inter se confudisse T. Manlii et P. Decii funus. Exhibet enim Livius VIII. 7. 22 haec: ut neque ..... parceretur *spoliis*que *contectum invenis corpus* structo extra vallum rogo *cremaretur*« quae verba conferri possunt cum Zonara: *τὸν μὲν τοῦ Δεκίου νεκρὸν κατέκαυσε σὺν τοῖς σκύλοις.* Tum autem deliberanti mihi, quam raro scriptores annalium a fonte recedentes ad ea quae antea narrata sunt, respicerent, alia difficultatem solvendi ratio occurrebat. Zonarae enim verba prorsus cum Livio congruunt, si Livium ipsum vel eius auctorem a Dione neglegenter lectum esse concedis, nam si mutas in enunciato Livii — cap. 29. § 18 —: »dimissis ad quaerendum collegae corpus spolia hostium coniecta in acervum Jovi Victori cremavit« verba: »ad quaerendum collegae corpus« in »ad quaerendum collegam, corpus«, mirus statim intercedit consensus cum Zonara:

Livius: Fabius dimissis ad quaerendum collegam, corpus, spolia hostium coniecta in acervum Jovi Victori cremavit.

Zonaras: *Μάξιμος δὲ Φάβιος τὸν μὲν τοῦ Δεκίου νεκρὸν κατέκαυσε σὺν τοῖς σκύλοις.*

[1]) Ne levitatis accuser non praetermittam verba Zonarae *μή τινι περὶ τῆς πράξεως κοινωσάμενος* e Liviana devotionis Decii narratione explicari non posse; immo secundum Livium in media pugna id quod sibi animo proposuerat Decius professus esse putandus est. Hunc dissensum non adnotavit Baumgartnerus.

[2]) Nam e Livio sua hausisse Dionem vir doctus arbitratur.

[3]) Conf. Baumgartneri libellum p. 5.

Ne Zonarae ipsi hunc errorem tribuas, obstat, quod hic epitomator latinos auctores non in usum vocavit[1]).

Jam quamvis anni sequentis res Zonaras coartaverit, tamen si hanc epitomen cum Livii narratione comparas et ea quae Livius cap. 37 § 13—16 de illius anni parum constanti memoria disserit animo pendes, etiam hic diiudicare poteris, quemnam Dio secutus sit. Refert enim Zonaras Atilium Regulum in Samnio res gessisse et aliquamdiu aequo Marte cum Samnitibus pugnasse, tum a Samnitibus victum rursus imperatorem Romanum armis superiorem discessisse,

[1]) Id Schmidtius mihi probavit commentatione sua: Die Quellen des Zonaras, quae hodie legitur in sexto volumine editionis Zonarae a Dindorfio curatae p. 58. — Ut hunc auctoris Zonarae errorem probabiliorem redderem alios indagare studebam locos, quibus saepius accidisse ut scriptores antiqui male redderent fontes, demonstrarem. Ac duos apud Zonaram mihi repperisse videor. Zonaras capite 23 libri septimi, quo loco Capitolium paene a Gallis captum esse refert, haec exhibet: *καὶ ἔλαθον ἂν — ἐπιθέμενοι, εἰ μὴ χῆνες ἦσαν περὶ τὸν νεὼν τῆς Ἥρας τρεφόμενοι οἳ φύσει ὄντες εὐαίσθητοι καὶ ψοφοδεεῖς ταχὺ τῶν Γαλατῶν τὴν ἔφοδον ᾔσθοντο κτλ.* Auctor hujus loci est Plutarchus, apud quem in vita Camilli cap. 27 haec leguntur: *ᾔσθετο γὰρ οὔτ᾽ ἄνθρωπος οὔτε κύων, ἀλλὰ χῆνες ἦσαν ἱεροὶ περὶ τὸν νεὼν τῆς Ἥρας τρεφόμενοι τὸν ἄλλον χρόνον ἀφθόνως, τότε δὲ τῶν σιτίων ἤδη γλίσχρως καὶ μόλις αὐτοῖς διαρκούντων ἀμελούμενοι κακῶς ἔπραττον. Ἔστι μὲν οὖν καὶ φύσει πρὸς αἴσθησιν ὀξὺ καὶ ψοφοδεὲς τὸ ζῷον, ἐκεῖνοι δὲ καὶ διὰ λιμὸν ἀγρυπνητικοὶ καὶ θορυβώδεις γεγονότες κτλ.* Praeterea conferatur ejusdem Plutarchi libellus de fort. Roman. cap. 12: *χῆνες ἱεροὶ περὶ τὸν νεὼν τῆς Ἥρας ἐτρέφοντο θεραπεύοντες τὴν θεόν. Φύσει μὲν οὖν τὸ ζῷον εὐθορύβητόν ἐστι καὶ ψοφοδεές, τότε δὲ συντόνου περὶ τοὺς ἔνδον οὔσης ἀπορίας ἀμελουμένων αὐτῶν λεπτὸς ἦν καὶ λιμώδης ὁ ὕπνος ὥστε κ. τ. λ.*

Frustra autem apud alios auctores, qui hanc rem narraverunt — dico Diodorum XIV. 116, Livium V. 47 § 3 et 4, Dionysium XIII. 7 K., Cassium Dionem XXV. 8. Dind. — verba typis insignita quaeres. Atqui Livius l. l. haec scribit: „tanto silentio in summum evasere, ut non custodes solum fallerent, sed ne canes quidem *sollicitum animal ad nocturnos strepitus* excitarent. Anseres non fefellere, quibus sacris Junonis in summa inopia cibi tamen abstinebatur" unde perspicitur verba quae ad canes referri vult Livius — ut ait Ennius inc. sed. frag. LXIII V. invictus canis atque sagax et viribus fretus — fortasse oculis ad alium versum aberrantibus ad anseres pertinere Plutarchum arbitratum esse. Neque enim dubitari potest quin verbis *καὶ φύσει πρὸς αἴσθησιν ὀξὺ καὶ ψοφοδεὲς τὸ ζῷον* vertere voluerit Plutarchus „sollicitum animal ad nocturnos strepitus". — Invenitur in hoc Plutarchi loco, quem supra exscripsi alius error incuria legendi ortus. Plutarchus cum scriberet: *τότε δὲ τῶν σιτίων ἤδη γλίσχρως καὶ μόλις αὐτοῖς διαρκούντων ἀμελούμενοι κακῶς ἔπραττον*, in animo habebat, quae Livius c. 47 § 4 exhibet: „quibus sacris Junonis in summa inopia cibi tamen abstinebatur", sed ut apparet ex verbis *ἀμελούμενοι κακῶς*

captos sub jugum misisse et dimisisse. Alterius consulis L. Postumii Megelli quippe qui tardius ab urbe exierit et tum urbes aliquot in Samnio et cum ibi materia belli deesset, in Etruria ceperit, nulla fit mentio. —

Quem in his inter Livium et Zonaram statui consensum, idem etiam in proximi anni descriptione invenitur. Grato fortunae beneficio accidit, ut hic cum Zonara fragmentum Dionis — 29 Dind. — comparari possit, quod ad verbum pluries cum epitomatore consentit. Conferas quaeso hos locos:

Dio frag. 36. 29: *οἱ Σαυνῖται ἀγανακτήσαντες ἐπὶ τοῖς γεγονόσιν καὶ ἀπαξιώσαντες ἐπὶ πολὺ ἡττᾶσθαι πρὸς ἀποκινδύνευσιν καὶ πρὸς .ἀπόνοιαν ὡς ἤτοι κρατήσοντες ἢ παντελῶς ἀπολούμενοι ὥρμησαν θάνατον μὲν προειπαντες ὅστις ἂν αὐτῶν οἴκοι καταμένῃ.*

Zonaras: *Σαυνῖται δὲ ἐπὶ τοῖς γεγονόσιν ἀγανακτήσαντες πρὸς ἀπόνοιαν ὥρμησαν ὡς ἢ κρατήσοντες ἢ παντελῶς ἀπολούμενοι θάνατον ἀπειλήσαντες τῷ οἴκοι μενοῦντι.*

Ad postrema verba pertinent quae Livius exhibet cap. 38 § 3: »dilectu per omne Samnium habito nova lege ut qui iuniorum non convenisset ad imperatorum edictum, quique iniussu abisset caput Jovi sacraretur« sqq. Praeterea verba quae exeunte fragmento Dionis quod aetatem tulit leguntur: *ὅρκοις σφᾶς φρικώδεσσιν — φονεύσειν* cum Livio: »diro quodam carmine — composito nisi isset — non extemplo occidisset« cap. 38 § 10 conferenda sunt. Deinde quae de consulum rebus gestis Zonaras exponit: *οἱ δ᾽ ὕπατοι ἔρημον ὂν στρατιωτῶν τὸ Σαύνιον ἐπόρθουν καὶ πόλεις εἷλόν τινας* ad initium cap. 39, quo dum Samnites superstitionibus operati consilia secreta

ἔπραττον tam male accepit Plutarchus hujus loci sensum, ut verteret, quasi scripsisset Livius: qu*i* sacr*i* Junonis in summa inopia cib*o* abstineb*an*tur. Unde efficitur Livium ipsum hoc loco a Plutarcho esse usurpatum. In alia sententia versatur Mommsenus: Forschungen II. 346 a. 91.

Aliud exemplum erroris a Zonarae auctore commissi quamquam de eo dubitare licere concedo, tamen proferam, ut num quid veri invenerim viri docti diiudicent. Inter omnes constat notissimam illam narrationem, quam de somnio Hannibalis in Italiam proficiscentis Cicero de divin. I. 24, Livius XXI. 22, Zonaras VIII. 22 exhibent, a Zonara ita reddi, ut propius ad Ciceronem quam ad Livium accedat. Eo magis autem mireris, quod in fine somnii illius apud Zonoram haec leguntur: *Ὦ Ἀννίβα ταῦτα συμπορθήσοντά σοι τὴν Ἰταλίαν ἔρχεται* quae verba prorsus dissentiunt cum Cicerone haec referente: „et Deum respondisse: vastitatem esse Italiae praecepisseque ut pergeret, quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret." Hunc autem dissensum ita ortum esse opinor, ut Dio etiam hic oculis magis perlustrans auctorem quam mente percipiens omisso verbo „praecepisse" hunc sibi animo verborum fingeret sensum: *vastitatem esse ut pergeret neve laboraret.* Hac ratione intellegitur qui fieri potuerit, ut scriberet Zonaras vel ejus auctor Dio: *ταῦτα συμπορθήσοντα,*

agunt, consules Romanos Amiternum et Duroniam oppida cepisse Livius narrat, pertinent. Tum transit epitomator ad res ad Aquiloniam gestas, quas prorsus Livium secutus exponere videtur, e. gr. verbis: *καὶ τῷ ἑνὶ τῶν ὑπάτων συμμίξαντες ἔκ τινος ἥττηντο στρατηγήματος* respicit dolum calonum, qui mulis insidentes ramos frondosos per terram trahebant et pulverem maiorem quam pro numero excitabant conf. Liv. cap. 40 § 8, 41 § 6 et 7.

καὶ φυγόντες δεινῶς ἔπταισαν, conf. cap. 41 § 10.

καὶ τὸ στρατόπεδον ἀπέβαλον, conf. cap. 41 § 12: prior aliquanto Volumnius castra capit.

De sequentibus verbis: *πρὸς δὲ καὶ τὸ πόλισμα ᾧ ἐπεβοήθουν* scil. *ἀπέβαλον* dubitatio existere potest, utrum ad Aquiloniam urbem quam duce Scipione Romani occupaverunt, an ad Cominium quod oppidum alter consul Spurius Carvilius cepit, referenda sint. Enunciatum enim relativum: *ᾧ ἐπεβοήθουν* nos ad viginti cohortium profectionem — conf. Liv. cap. 40 § 6. 43 § 9—15. — relegare videtur, et jure quodam conicias hac ratione ne ad Cominium quidem rem Samnitibus prospere cessisse auctorem significare voluisse. Sed abiciendam hanc sententiam et ad Aquiloniam captam ea verba referenda mihi persuasi. Zonaras enim pugnam ad Cominium, quippe quae brevius in annalibus descripta esset omisit et inde a verbis demum *ὁ δ' ἕτερος ὕπατος* ad Spurii Carvilii res gestas transiit. Nec minus cum Livio conspirant quae porro exponit Zonaras:

ὁ δὲ ὕπατος τά τε ἐπινίκια ἔπεμψε καὶ τὰ ἀθροισθέντα — ἐδημοσίωσεν, conf. cum Liv. X. 46. 2 et 5.

καταστήσας αὐτοὺς δι' ὀλίγου, conf. cum Liv. X. 46. 12.

τὰ μὲν τοῖς στρατιώταις διέδωκε, τὰ δὲ εἰσήνεγκεν εἰς τοὺς θησαυρούς, conf. cum Liv. X. 46. 15.

Haec igitur omnia ad Livii narrationem quadrant. Eo autem magis mirum est, quod Zonaras initio anni, quo consules Samnium vexassent, Samnites populabundos in Campania versatos esse, tum propter clades domesticas reversos Aquiloniae auxilium tulisse dicit. Haec potissimum est causa, cur Baumgartnero non assentiar, et Dionem sua ex ipso Livio hausisse negem; quae mea sententia eo confirmatur, quod eae res quas Livius fonte primario seposito narrat — dico prodigia anni 458 u. c. et certamen matronarum — apud Dionem Zonaramque vel aliter exponuntur vel omittuntur.

VITA.

Natus sum *Carolus Georgius Klinger* die XXII. mensis Novembris anni MDCCCLVII in vico Saxoniae cui Grumbach nomen est prope Annabergam sito, Carolo patre, matre Mathilda e gente Wagner. Primis litterarum elementis a patre, qui in vico Grumbach praeceptoris munere fungebatur, imbutus anno MDCCCLXIX in gymnasium Fribergense receptus sum, quod benevolentissimorum usus disciplina praeceptorum per octo annos frequentavi. Maturitatis autem quod vocant testimonium adeptus primum Erlangae stipendia feci, tum Lipsiam me contuli, ut studiis philologicis et historicis me dederem. Praecipue interfui scholis ARNDTII, CURTII, LANGII, LIPSII, E. MEYERI, DE NOORDENI, RIBBECKII, VOIGTII et per complura semestria sodalis fui seminarii historici, cui illo tempore DE NOORDENUS vir illustrissimus, quem nuperrime litteris morte praematura abreptum dolemus, praeerat. Praeter quem studiorum meorum fautorem et adjutorem plurimum debeo ARNDTIO, MEYERO, RIBBECKIO, quod ne ingratus videar libentissime profiteor.

Errata.

pag. 4	vers. 12	legendum:	„anxie“	pro auxie.
„ 7	„ 9	„	„proponunt“	pro propununt.
„ 8	„ 5	„	„conferas“	pro conferso.
„ 15	„ 30	„	„discrepantes“	pro discrepuntes.